

**Epistolarum medicinalium liber quartus, denuo recusus, adjecto  
ineditarum ejusdem epistolarum specimine / Cura Joannis Hanharti.**

**Contributors**

Gessner, Conrad, 1516-1565.  
Hanhart, Johannes, 1773-1829.  
University of Glasgow. Library

**Publication/Creation**

Vitoduri, 1823.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/a2s737ea>

**Provider**

University of Glasgow

**License and attribution**

This material has been provided by This material has been provided by The University of Glasgow Library. The original may be consulted at The University of Glasgow Library. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.


You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>



Pl. 403.






Glasgow  
University Library




Ferguson Collection  
1921

*Aq - e. 34.*







Digitized by the Internet Archive  
in 2016

<https://archive.org/details/b24926954>

442  
EPISTOLARUM MEDICINALIUM

CONRADI GESSNERI,

PHILOSOPHI, MEDICI TIGURINI,

LIBER QUARTUS,

DENUO RECUSUS,

ADJECTO INEDITARUM EJUSDEM EPISTOLARUM SPECIMINE.

CURA

JOANNIS HANHARTI.

---

VITODURI, apud STEINERUM.

MDCCCXXIII.



Conradi Gessneri Epistolæ et animi candorem optimi  
hujus viri, et magnam ejus doctrinam indicantes dignæ  
sunt, quæ nostro etiam seculo a litterarum studiosis le-  
gantur. Nunquam in unum Volumen collectæ, nunquam  
ordine chronologico dispositæ sunt. Extat etiam per-  
magnus ineditarum epistolarum numerus rerum varie-  
tate et gravitate utilissimarum. Has omnes, si viri eru-  
diti, magni hujus nominis studiosi, legere cupiant, ea,  
qua scriptæ sunt, temporum serie edendas notisque il-  
lustrandas suscipit autor vitæ C. Gessneri hoc anno Vi-  
toduri lingua Germanica editæ.

Vitoduri, Calendis Novembris 1823.

JOANNES HANHARTUS,

Pastor Primarius

Urbis Vitodurensis.





# EPISTOLA NUNCUPATORIA

AD VIRUM CLARISSIMUM,

PAULUM USTERI,

MEDICINAE DOCTOREM,

SENATORIA DIGNITATE CONSPICUUM.

---

Justissimas habeo causas, quibus permotus hunc etiam Epistolarum Conradi Gessneri librum tibi inscribam. Hic enim quartus Epistolarum Gessneri Medicinalium liber, rarissimus, diu multumque a me in plerisque Helvetiæ Bibliothecis publicis quæsitus, nec usquam inventus, per te tandem detectus in manus meas venit. Tu commercio epistolarum junctus doctissimis Germaniæ et Galliæ viris omnem operam impendisti, ut hoc etiam adjumento instructus vitam Gessneri civis, et præcursoris tui, melius et plenius delineare possem, Tu has epistolas Breslaviæ inventas describendas curasti, Tu mihi eas liberalissime et humanissime commodasti, Tu idem mihi significasti reipublicæ litterariæ interesse, hunc summæ raritatis librum denuo edi. Redit igitur ad te liber, qui proprie est tuus.

Adjunxi quasdam ineditas adhuc Gessneri Epistolas. Satis magnum earum numerum in



scriniis meis habeo, et omnes Gessnerianas Epistolæ tam ineditas, quam eas, quæ jam dudum juris publici factæ sunt ordine chronologico ita disposui, ut, si memoria magni hujus viri reviviscens desiderium earum excitet, facile et non sine voluptate legentium eo, quo scriptæ sunt ordine, edi a me queant. Tu interim boni consulas quidquid operæ posui in scribenda Gessneri vita, Tu parvulum hoc donum ea, qua soles humanitate accipere, ne dedigneris.

Deus optimus maximus Te multos per annos patriæ et tuis conservet. Vale!

Vitoduri, Tertio Nonarum Novembris 1823.

Tuus ex animo

JOANNES HANHARTUS.



---

I.

Doctissimo viro D. J. Kenntmanno Dresdensi,  
Medico excellenti, Domino suo colendo.

S. D.

Cum paulo prolixius ad ornatissimum virum D. Georg. Fabricium scriberem, et nuntius moram non ferret, malui brevissime, quam nihil prorsus ad humanitatem tuam scribere. Quod tam candide picturas animalium, quas habes, mihi offers, Kenntmanne doctissime, gratias tibi ingentes habeo: et curabo si Dominus vitam extenderit, ut quanti te faciam et amem, merito quidem et insigni benevolentia tua illectus, brevi intelligas. Animalium picturas, quæ in Catalogo tuo nominantur, plerasque jam habeo, partim aliunde, partim a D. Cornelio Sittardo, Norinbergensi medico, nactus, qui eas liberalissime mecum communicavit. Desidero tamen ex tuis piscem S. Petri, Pompilem, Clavem, si recte lego. Quædam enim non satis intelligo, propter inscitiam, ut videtur, amanuensis: ut sunt: Horellus marinus, Edron. Canem marinum ex Oceano D. Georg. Fabricius misit; tu si alterius forte generis habes, illum quoque mitti cupio: et insuper quæcumque habes, quorum nomina tibi ignota sunt. Quod si picturas tuas miseris, easdem bona fide remittam: sin ad exemplaria tua depictas, curabo ut impensas numeret typographus nostras in nundinis autumnalibus Francofordiis. Sed alias plura, nunc propter nuntii festinationem non licet. Quamobrem ig-



nosces. Vale et favere laboribus nostris perge. Tiguri  
1550. Aprilis die 22.

Tuus Conradus Gessnerus.

## II.

Excellenti Medico, D. Joanni Kenntmanno  
Dresdensi Domino et amico suo in primis  
colendo.

Non possum non exoculari candidissimam istam liberalis animi significationem, Kenntmanne optime et doctissime, quam mittendis tuis animalium imaginibus tanto locorum intervallo, et ad hominem ignotum, plenissime mihi exhibuisti. Sed in præsentia verbis tantum gratias tuæ humanitati ingentes habeo: reipsa enim gratum erga te animum declarandi occasionem alias mihi non futuram spero. Multo certe promptius atque alacrius innumeros tantum opus de omni animantium genere conscribendi labores posthac subibo, et Dei Opt. max. favore ad umbilicum perducam, postquam tanto candore tu et alii apud vos præstantissimi viri conatus meos promovetis. Ad proximi veris nundinas imagines tuæ ad te redibunt. Quod si etiam plantarum icones, quas ex Italia habes, ad me miseris, erit, quod vehementer gaudeam. Omnino enim plantarum historia delector, et sæpenumero etiam in opere de animalibus ad plantas digredior. Vale in Domino et nostris studiis favere perge.

Tiguri 1550. Calendis Decembris.

Tuus ex animo Conradus Gessnerus.

Effigiem avis Norimbergæ excusam prius etiam videram. Manucodiatam nominat Cardanus in opere de subtilitate, ibidem excuso, quod te vidisse puto: multa sane rara et ἀζιωμανημόνευτα continet. Volueram hæc adscri-



bere in litteras ad D. Georg. Fabricium, sed forsán tibi etiam non ingratus est error.

### III.

Eximio viro D. Joanni Kenntmanno, Dresdensi Medicinæ Doctori clarissimo, Domino suo honorando.

Plurimum equidem tibi debeo, Kenntmanne doctissime, qui tam liberaliter, amice, candide, multas et elegantissimas tuas picturas mihi communes feceris. Eas nunc remitto per Bibliopolam vestrum. Commisi enim typographo nostro Francofordiam vehendas. Tomus primus intra quatuor, spero, menses absolvetur, ad Nundinas Septembris demum Francofordiam advehendus. Paulatim deinde, si vixero, secundum etiam adornabo. Interea si quid cognitione dignum ad te pervenerit, eodem, quo cœpisti, animo, labores meos promovere ut pergas, impense te oro. Ego, ne possim merito ingratus videri, operam dabo. Mitto ad te momentum olei de nuce moschata. Parandi modus hic est. Circiter viginti crassiusculæ contusæ bono vino macerantur per noctem, deinde in patella calefiunt ad ignem citra ebullitionem, ita ut digitus adhuc pati possit calorem illum. Tum infunduntur in exiguum sacculum linteum, qui filo colligatur, et in vasculum ad hoc aptum impositus sub prelo fortiter exprimitur. Effluit autem vinum cum oleo: oleum ceræ ferme colore et substantia est, quod a vino diligenter separari debet, digitis premendo, vel per linteolum collando. Ex Uncia nucum olei fere duæ Drachmæ habentur, si bene memini. Hujus olei quantitate ciceris os ventriculi inungitur, calefacit et mire confortat. Potest etiam intra corpus sumi, per se vel cum aliis. Aliqui renes et Perineon s. partem inter anum ac pudenda il-



linunt, tanquam amissam aut debilitatam coëundi vim restituat. Ego tam suavi et pretioso oleo ad eam rem uti nolim. Superioribus nundinis succum mirabilem ex Veratro nigro, ni fallor, ad te misi: nescio an parandi quoque rationem. Tu si quid arcanum aut egregium in re medica habes, vicissim mecum communicato. Accipies etiam *Γαμμασιωτάτην καὶ Φαρμακοδεσάτην* olei de vitriolo compositionem, si voles.

Tiguri 1551. Tertio Martii.

Tuus ex animo

Conradus Gessnerus.

#### IV.

Cl. V. D. J. O. Kenntmanno, Dresdensi Medico  
et Philosopho præstantissimo, amico suo  
honorando.

Tu vere humanitate benignitateque tua, præstantissime Kenntmanne, plurimum me subinde exhilaras, ita ut omnis tui memoria jucundissima mihi sit, et ita facilius eos, quos sustineo labores, perferam, et veluti stimulo quodam ad ea, quæ inchoavi, perficienda impellar. Quod, ita me Deus amat, nulla adulatione, prorsus ingenue scribo. Sunt enim omnino paucissimi, qui vel verbis studia mea sublevare ac recreare dignentur. Tu vero et Fabricius noster etiam re ipsa sæpius conatus meos juvare et ornare non desinitis. Itaque sentio, quantum vobis debeam, et doleo non tantum esse in rebus meis, quantum vobis obstringor. Præstabo tamen paulatim, ut me neque immemorem vestri, neque ingratum existimandi occasionem vobis præbeam, et si minus in vos privatim præstitero, vestro beneficio tamen magna ex parte debebunt studiosi, quantulumcunque illud est, quod ex scriptis meis in publicum usum perveniet. Mat-



Matthæoli Senensis in Dioscoridem commentarios forte jam vidisti, qui nuper latine editi sunt: iis adjectæ sunt quædam novæ stirpium icones. Quod si quæ fuerint inter tuas stirpes, quarum locupletissimum catalogum Fabricius ad me dedit, quæ in vulgatis hactenus Tragi et Fuchsii botanicis libris, et insuper Matthæoli, si jam vidisti, non contineantur, illa ad me depicta mitti percuperem. Cujusmodi sunt imprimis, Satyria Dioscorides, Tulipa Turcica, Medion, Epimedion, Pericarpus Plinii, herba repressa, Phalangium, Trifolium spinosum, Abutilon Avicennæ, Cyclaminus Romana, si quid a communi differt, Ambrosia Dioscoridis, Ficus Indica, Holosteum, Raponticum ex monte Tauro, Rhabarbarum verum, Chironium, Polygala, nucis muscatæ folia. Ceterum ex piscibus, quorum itidem nomina per classes distributa Fabricius misit, desidero pingendas, et si quid de natura eorum adjici potest, ne nudas lectori icones proponam: Den Ziege oder Goldfisch, Halbfisch, Elderich, Briefel, Wels, Kaulpausling, Isen, Diebele, Rappen, Bleschen, Genser, Zörten, Zifeln, Karas, Oberkottichen, Schnepfelfischen. Fieri quidem potest, ut jam nonnullos ex istis habeam sub aliis nominibus, plerisque tamen carere me puto. Sumptum, quem indicaris, rependam, et in quacunque alia re gratificari potero, non deero officio meo. Quod si etiam aliquando per otium ad librum nostrum Evonymi de arte destillandi aliquid contuleris, hoc quoque pergratum erit. Librum de avibus nostrum, cum exierit, ad te mittam, intra 4 aut 5 menses, sed prius etiam aliquid in re medica nostra, quod nunc apud nos cuditur, ad nundinas proximas Francofordiam vehendum a Gessnero patruale meo, a quo, si forte obliviscar, exemplar petes, scheda, quam addidi missa. Interim vale quam felicissime.

Tiguri, Junii, die 22. Anno 1554.

T. Tuus Conr. Gesnerus, Medicus.



## V.

Cl. V. D. J. Kenntmanno, Medico excellenti,  
Domino et amico optime merito.

Remitto tibi, optime Kenntmanne, librum tuum pulcherrimum, quo stirpium et animalium icones permultas et raras diligenter complexus es; ac pro hoc beneficio gratias tibi immortales habeo. Quod si vixero, donec stirpium historiam in lucem edam, quod mature facere statui, quantum tibi pro ista non erga me solum, sed in communes literas benevolentia studiosi debeant, candide profitebor, et testabor honorifice. Interim tu pro summo candore tuo me amare atque juvare perges: intelligo etiam Fuchsium hoc anno editurum tomos duos de stirpibus, quarum figuras supra mille habeat, sed non idcirco deterrebor ab instituto meo: nam et figurarum numero forte non superabor, et aliter quam de animalibus, breviter arguteque de singulis scribere conabor, stylo mediocri et æquabili, etc. Multa mihi pulchra et rara Alpes nostræ suppeditaverunt, quas ego diversis in locis conscendi, capite interdum ut mihi videbatur, nubes assecutus, et forsitan etiam æstate proxima aliquo exspatiabor. Multa mittunt amici, et ego succisivis lectionibus, et cura hortensi et medendi usu in me atque aliis multa nova experior ac observo. Quamobrem fore spero, ut beneficiorum in me tuorum te non pœniteat; tu certe misso codice tuo me excitasti, ut de plantis omnibus scribere proposuerim, et figuras omnium (Fuchsii, Tragi, Dodonæi, Matthæoli Senensis, Turneri, Bellonii, Loniceri, tuas et meas) in unum volumen conjungere, viribus singularum brevissime adscriptis, etc. Figuræ mihi jam circiter mille sunt, si tuis meisque impressas in diversorum operibus adnumerem. Sed video prius mihi edendum esse librum de aquatilibus, quem nunc primum



conscribere incipiam, materia jam dudum collecta. Ad hoc opus piscium; qui apud vos sunt quorundam picturas desidero, non magnas: potest enim magnitudo verbo uno adscribi: sed parvas diligenter expressas, nempe illorum, quorum hæc in libro tuo nomina invenio: Siege, ad numerum 3 ubi Goldfisch etiam scribitur, nescio an diversus piscis: et Halbfisch in eodem ordine. In secundo: Schmerling, Steinschmerling, Wels. In tertio: Kaulpersing, Streifpersing, Parm. In quarto: Jesen, Diebeln, Rappen, Beuster, Zerten. In quinto: Oberföttichen, Raras, Schnappelfischen. Sunt forte ex illis quidam apud nos quoque, sed aliis nominibus. De singulis etiam breviter scribes, cum vacabit, quæ ad apparatus et salubritatem vel succum et alimentum ex eis pertinent, sicut Rondeletius, medicus Monspeliensis, nuper fecit, cujus de piscibus tomi duo (qui tamen in unum volumen conjungi possunt) Lugduni nuper editi sunt. In Evonymo nostro, si quid emendandum vel addendum judicas, per otium scribes. Pro Phæmonis libello gratias habeo, edam illum per otium cum figuris et aliis quibusdam novis decanibus. Commendabis me D. Gravio, qui Oceani Germanici piscium aliquot rariorem figuras se curaturum mihi depingendas recepit. Qua in re perficienda maxime illum Fabricius noster urgere poterit; quod ut faciat, tu quæso eum hortare. Mitto ad te librum de avibus nostrum et epitomen bibliothecæ nostræ. Vale in Domino felix et mihi impera.

Tiguri, 1555, Mart. die 16.

T. perpetuo  
Conradus Gesnerus.

## VI.

Mitto ad exc. tuam, doctissime Kenntmanne, epistolam in tuum nomen inscriptam Moschionis de muliebri-



bus affectibus libro Græco præfigendam, si tibi non displicuerit, et typographus aliquis admiserit. Vix enim, ut græce aliquid seorsim edant induci possunt. Si omnino detrectent, inveniam Latina aliqua ejusdem argumenti, quæ adjungam. Tu si quid forte habes, communica. In epistola dedicatoria pro tuo arbitrio mutabis, addes, detrahes, et tempestive remittes, si quid mutaveris.

Remitto etiam stirpium aliquot icones, quas collegisti et depinxisti Torgæ, a Georg. Fabricio nuper missas, pro quibus maximas humanitati tuæ gratias habeo. Meum de nonnullis judicium adscripsi. Quasdam miratus sum de novo a te pictas cum in libro, quem prius misisti, satis bene pictæ habeantur, ut Ornithogalon et Balbinæ. Doronicum in horto meo hoc ipso tempore floret, sæpe a me in Alpibus lectum, sæpe plantatum: sed hujusmodi foliis, qualia a te pinguntur bina A et B litteris mihi signata, nunquam. Verbascutum odoratum quoque nobis frequens est: de quo in Libello de Lunariis plura scripsi. Habebas id quoque prius expressum, sed flore singulari.

Aeliani nostri opera nuper ad te misi et libellum de Aquatiliis Nomenclaturis; ea, si accepisti, quod non dubito, significa: et de aquatilibus libellum primo quoque otio perlege, eam præsertim partem, quæ de Germanicis nominibus est, et ubicunque poteris emenda, litteris mature mittendis. Jam enim sub prelo natant pisces mei, vix intra annum enataturi, tantum est pelagus. Reliquos pisces Albis vestri, quos aliquoties jam petii, ardentissime exspecto. Vale feliciter et me ama.

Tiguri anno 1556, Octobris die 29.

T. T. Conr. Gessnerus, Medicus.

Valerianæ Græcæ, Ornithogali, Apii, vel Ischadis, Ocimoidis imagines, et si quæ alia non vulgaria sunt, desidero.



## VII.

Cl. V. D. Joanni Kenntmanno, Doctori Medico  
et Philosopho eximio doctissimoque, Do-  
mino et amico clarissimo suo.

Præpropera et inopinata mercatorum nostrorum pro-  
fectio facit, ut breviter et incondite hæc effundam, quæ-  
dam in litteris ad D. Georg. Fabricium scripsi, quæ tecum  
ut communicaret, rogavi. Quæ misisti, Kenntmanno  
mi ornatissime, omnia accepi summa cum voluptate et  
lætitia. Sunt enim peregregiæ et diu mihi desideratæ  
piscium et aliæ quædam ad vivum factæ icones: et eru-  
ditæ copiosæque descriptiones: pro quibus non solum Al-  
bis, Albinique populi, sed alii etiam multi tibi debebunt:  
neque hæc solum ætas nostra, sed omnis posteritas. Ego  
honoris tui rationem eam habebo, quam debeo: simpli-  
cius tamen, ne vel affectare, vel adulari videar; plera-  
que ad finem operis mei accedent, quæ tardius, quam  
ut suo loco poni licuerit, accepi. Vellem per otium cæ-  
teros omnes pisces Albis similiter a te Germanice de-  
pingi, ut liber de piscibus Albis vernacula lingua edere-  
tur, vel apud vos, vel hic potius apud nos, qui sculp-  
tas jam plerasque imagines habemus. Piscium opus  
nostrum non ante duos menses absolvetur propter im-  
pedimenta quædam, quæ inciderunt. Reliqua in litteris  
ad Fabricium leges. Nomenclaturas metallorum tuorum,  
si non displicebit, tradam typographo alicui, una cum  
insignibus et carminibus impressis, quæ misisti. Mo-  
schionis editionem primo quoque tempore promovebo.  
Cujus nuncupationem tibi non improbari valde gaudeo.  
Vale et ignosce, meque per omnem vitam de gratitudine  
tibi quam debeo referenda cogitaturum, tibi pollicere.

Tiguri, die 17 Martii, anno 1558.

Excell. tuæ studiosissimus

Conradus Gesnerus.



Ex fossilibus tuis desidero, quæ subscribam, ita tamen ut de iis solum ad me mitti quantulumcunque de singulis cupiam, quæ tibi abundant. Si quid vero exiguum aut singulare est, non peto, nisi ad inspiciendum saltem, ut ad te redeat, non graveris. Medullarum saxatiliū una aut altera species. Ex terris: saponaria, chia, ampelitis, erythræa, melia, bolus ungaricus verus: Ochra fistularis: terra rubra Waldenburgen: Sal indicus, Colomeus: item strumeus lacustris. Atramenti nativi species aliquæ. Melantheria, chalcitis, misii sorii, Aerugo nativa. Arsenicum album et luteum s. Cadmia, weißer und gelber Hüttenrauch. Succini aliquæ differentiæ, ut cinereum, novum, falernum, melleum. Ex lapidibus, anthracites, galactites, hæmatitæ aliqui, gypsum eborescens, ammochrysos, enosteos, Ceraunia ammonites, perdicites, hieracites, belemnites pellucidus, Gaeodes, Armenius, enorchis, phenigites Plinii. Item diphryges, pompholyx. Fluor sexangularis, echino ovario similis. Marmoris una et altera species. Cobaltum. Ignis subterannei consumpti. Cadmi species. Spodium. Ex marinis, halcyonii species, saltem secunda, Corallium nigrum. Melicera vel favago. Pectunculi aliqui, Trochus. Tribuli vel Siphunculi.

Montem habeo Metallicum, in quo omne genus metallorum ac fossilium conjunctum est in corpus unum, cubitale fere, summa industria. Munus hoc est clarissimi apud Misenos, viri felicitis memoria. Valentini Gravii et partim Georgi Fabricii, poetæ doctissimi. Huic ego simile aliud opus meditor, ex omni variorum lapidum et gemmarum genere concinnandum, ita ut singula quæque distincte ac luculenter appareant. Multa jam habeo, et rara quædam, ubi paulo plura nactus fuero, artificii construenda dabo, et libellum edam, cum otium erit, qui descriptiones contineat, et dialithi hujus, et metallici operis, quod jam latine ac germanice a Georg.



Fabricio descriptum habeo. Ad hoc meum institutum, quod dum paro, interdum a perpetuis meis lucubrandi laboribus me refocillo, si quid habes rariusculum in hoc genere, lapidum, inquam, lapillorum aut gemmarum, non nimis pretiosum, nec inclusum auro, symbolum quæso ad hanc structuram confer: ut tui quoque in eo opere, quotiescunque contemplantur, memoria mihi semper renovetur. Inseram enim tuo nomine quidquid miseris, etiamsi prius haberem. Vale et lithagyrthæ huic ignoscere.

### VIII.

Cl. V. D. Georg. Fabricio, poetæ doctissimo.

Valeo Dei gratia et nunc tandem sub finem piscationis meæ versor. Dolui superioribus nundinis nihil a te, nihil a Kenntmanno litterarum ad me datum: non tam quod nihil acceperim, quam quod de valetudine vestra frequentius certior fieri cupio. Volumen meum de piscibus si ante Septembrem ad vos mittere potero, faciam: sin minus, æquo animo expectabilis. Inde majori animo majorique fiducia stirpium historiam aggrediar, sed alio modo, brevissime et æquabili stilo. Deus o. m. adsit cœptis. Kenntmanno plurimam ex me salutem dicere, et Moschionis editionem primo quoque otio promovendum me, indicabis. Virum hunc pereruditum, doctorem medicum, qui ex Italia revertens me invisit, humanitati tuæ commendo. Vale.

Tiguri, 11 die Julii, anno 1558.

Conradus Gesnerus.

Scriptisti ad me aliquando, Hirseit piscem esse in Marchia Brandenburgensi: is quinam qualisque sit, obsecro mihi inquire, (si fieri potest pingantur.) Item San-



dat, vel Zandet, qui etiam in Viadro capitur in eadem regione et Norimbergam exportatur.

## IX.

Cl. V. D. J. Kenntmanno, medico nobilissimo, domino et amico suo honorando.

Absolutum tandem de aquatilibus volumen clarissime Kenntmanne, ad te mitto, et alterum ad Georg. Fabricium nostrum. In quo ut per otium aliquando versari et censuras tuas mihi conscribere, quam liberrime digneris, etiam atque etiam te oro. Tua de piscibus Albis scripta, omnia interpretatus sum latine, alia aliis locis. Utinam de reliquis etiam omnibus Albinis piscibus similiter scribas, ut libellus is seorsim germanice imprimatur, aut etiam latine, si petis, sive ex mea interpretatione (quam in tuam gratiam facile suscipiam), sive tua. Moschionis tibi dedicati eorum, ut ederetur, hactenus habere non potui, defuncto illo typographo, qui cuedendum receperat et me in libro de piscibus ita occupato, ut aliud vix cogitare liceret. Deinceps vero prima quaque occasione habebō et brevi forsā Basileam descendam, hanc praeipue ob causam, ubi etiam latinum vetus manuscriptum exemplar inventurum me confido, quod si contingat, dabo operam ut imprimantur unā et mutuā collatione per me ambo corrigantur, nam Graecum meum exemplar valde est depravatum, nec potui melius adhuc ex Italiae bibliothecis (quamvis ad multos eruditos amicos meos scripserim) nancisci. Paulatim nunc de stirpibus scribam, in quo rursus argumento opem tuam imploro. Quamquam enim antehac contulisti multa, poteris tamen (non dubito) in posterum etiam plura conferre, ut non infrequentius in meo de plantis volumine Kenntmanni nomen sit, quam in libris de animalibus Aconitum illud pardalianches, quod in libro tuo, qui her-



barum icones continet, pietum est, ipsene videris an ab alio solum pictum acceperis, scire cupio. Pingitur enim tribus foliis. Matthiolus Senensis autem in commentariis suis postremis in Dioscoridem, hanc herbam negat aconitum esse posse (primum scilicet Dioscoridis), quod folia non tria aut quatuor, ut Dioscorides scribit, sed unicum semper habeat. Eodem in loco Matthiolus multa in me impudentius scribit, iratus mihi, qui eam, quam ipse exhibuit, aconiti imaginem fœtitiam mihi videri scripserim. Quod quidem etiamnum mihi videtur, fictum esse, inquam, vel omnino, vel aliqua ex parte. Uter verius sentiat, tempus patefaciet. Interim tuum quoque iudicium, doctissime mi Kennntmanne, mature audire aveo. Cogito enim respondere Italo illi, ambitiosiori profecto, quam doctiori homini, et qui alios plerosque (Germanos præsertim tamquam omnino barbaros) præ se contemnat. Juva me igitur et muni argumentis, si quæ habes, optime, ut gentis nostræ autoritatem contra Italicam insolentiam defendam. Habeo jam ab Italis etiam nonnullis, Gallis et Hispanis testimonia quædam pro mea opinione contra Matthiolum ferenda. Cupio te legere, quæ Matthiolus scripsit et judicare libere matureque ad me perscribere, ut libellum de aconitis, quem meditor brevi edere (saltem ad nundinas vernas) in quo multa mirabilia leges, citius absolvam. Quamquam non accelera-rem, nisi Matthiolo respondendum videretur, ne si diutius differam, concedere ei videar, quod nolim. Modestissime tamen et simpliciter agam (nisi egomet mihi excidam, aut mei obliviscar), ut majorem inquirendæ veritatis quam reprehendendi Matthiolum curam mihi fuisse lectores intelligant. Metalla illa, vel partem eorum, quæ abs te petii, si me amas (quod facis) mitte, quantulumcunque de singulis. Si quæ tibi cariora fuerint, remittam, inspexisse contentus. Kreichium, Torgensem pharmacopolam, meis verbis saluta, et horti ejus obsecro



descriptionem ad me mitte, hoc est, herbarum in eo pro-  
venientium nomina, sive omnium sive rariorum. Aelia-  
num, si nondum accepisti (perfidia nescio quorum forte,  
ego enim profecto miseram) proxime alium mittam. Vale,  
vir ornatissime et me amare perge.

Tiguri, die 25. Augusti, anno 1558.

T. T. Conradus Gesnerus.

## X.

Heri reddita est mihi, Kenntmanne doctissime, jucun-  
dissima epistola tua, unâ cum thesauro metallorum, quem  
ego vel Cræsi et Midæ divitiis antepono. Nam præter  
multa illa, immo innumera, varia et admiranda naturæ  
opera, tuus etiam in omnibus, immo singulis, animus  
vere aureus, hoc est, candidissimus, candore et liberali-  
tate et summo mei amore, omni thesauro mihi præfe-  
rendus elucescit. Vincor equidem et numero et magni-  
tudine beneficiorum tuorum, suavissime mi Kenntmanne,  
nec quibus verbis satis condignas excellenti liberalitati  
tuæ gratias agam, invenio. Et malo nunc simpliciter  
tibi gratias habere, quam multa de me vicissim tibi pol-  
liceri, ut solent illi, quos Græci Dosônes vocant. Hoc  
tantum dicam, ea, quæ pollicitus sum aliâs, et præstare  
hactenus non potui, ut primo quoque tempore præstem  
me conaturum. De Moschione inprimis dico, quem nu-  
per, manuscriptum quendam Codicem latinum e græco  
illo translatus nactus, multis in locis emendavi; sed  
latina versione rursus me per dolum privavit ardelio qui-  
dam. Eam ut denuo acquiram curandum mihi est. Me-  
talla tua diligenter exequiam omnia, et accurate reponam  
inter *κειμήλια* mea, primo quoque otio, et si quæ forte  
habuero, quæ tamen paucissima erunt, quibus catalogus  
tuus carere videatur, mittam: nunc ad nundinas festi-  
nantibus nostris, cum literæ quam plurimæ mihi exa-



randæ essent, subito hæc conscripsi. Mitto ad te seminum genera circiter XVI. Brevi accipies hortuli nostri descriptionem: in qua, si quid placuerit petes. Video in Kreichii horto multa et rarissima esse: quæ cælum nostrum nimis vicinum nivosis alpibus, non ferret opinor, quantacunque curâ adhibitâ. Descriptionis ejus horti, ut petis, ad te do apographum, picturam vero, qua D. Jacobus Schad horti in certa spatia et arcas distributionem indicavit, non mitto: quod nec opus esse tibi putem, nec ego acceperim integram. Labyrinthi enim et quadrati tertii picturæ non pervenerunt ad me. Mitto etiam Jo. Leonis Afrieani Africæ descriptionem cum Hannonis libello a me converso. Aliud apud nos, quod gratum tibi fore sperarem, impressum nihil est. Reliquorum Albis piscium descriptionem cupide expectabo; quam in nomen meum inscribi non potest mihi non gratissimum esse, etsi jam prius ita (merito tuo) te amem, ut nihil fere amoris erga te meo accedere possit. Ego, ut et germanice a te conscripta, et a me latinitate donata, in publicum mature veniat hæc lucubratio tua, efficiam. Sum enim nunc, Dei gratia, liberior; neque amplius adstricta aut conducta typographis, ut fere antehac, mea opera est. Si fieri potest de aliis etiam nonnullis Germaniæ piscibus addi nonnulla Coronidis instar a te velim. Audio in Marchia quosdam peculiare esse pisces, inter alios quendam *Blossfisch* nuncupant, de quibus per occasionem inquires. Anno superiori struxi cœnaculum amplum in ædibus meis, cujus fenestras numero XV piscium argumento exornabo, ita ut omnis generis marinorum, fluviatilium et lacustrium animalium, aliqua elegantiora præsertim, per singulas digerantur certis classibus. In harum unum tuum quoque nomen cum tuis insignibus addendum curabo. Condo quidem nunc stirpium historiam sed ab ea interdum digredior, et intermitto, quod mihi non



astricto facere licet. Val. Cordi libros IV de herbis, arboribus et fruticibus, unâ cum iconibus meâ operâ additis, hac æstate imprimi curabo, et ejusdem annotata in Dioscoridem, quæ prius etiam olim excusa sunt Francofordiæ ad Mœnum, sed longe alia et copiosiora sunt, quæ manuscripta accepi; in primum duntaxat librum, et magnam partem secundi; reliqua adjicientur fere, ut prius edita fuerunt. Dabo hoc memoriæ Cordi, quam veneror, optimi et doctissimi juvenis, et ne eruditi illi labores ejus, quas publicæ utilitatis ergo suscepit, intereant, aut aliis, qui usurpare aliena dissimulanter volent potius quam ipsi gloriæ sint, quantum in me est efficiam. Librum ejus de arboribus non habeo integrum. Jo. Placatomus sua quædam et quæ Ralla et Georg. Aemilius communicaverunt, ad me misit. Tu etiam si quid habes aut habere potes, quo manibus Cordi gratificeris, mitte mature. Aconitum primum tribus insigne foliis a te mihi communicatum gaudeo, nondum enim videram ejusmodi: et magis nunc in sententiâ meâ adversus Matthiolum, hominem in quo plus sit ambitionis quam eruditionis confirmor. Medici Norimbergæ tres, (Hier. Donzellinus, Hier. Herold et Joann. Hesus) et Julius Alexandrinus Ferdinandi Medicus, et alii quidam ut amicitiam Matthioli ambirem propemodum me coegerunt. Itaque nuper amice modesteque privatas ad eum litteras dedi: in quibus tamen hoc mihi reservo, ut modeste ab eo dissentire mihi permittat, sicuti etiam Rondelettus, Bellonius et alii non pauci eruditissimi viri: quorum amicitiiis fruor, etiamsi in multis libere dissentiam.

Pisces fossiles in lapide fossili a te missos accepi, sed absque litteris tuis, autumnno superiore. Itaque quis ad me misisset dubitabam. Nunc te ejus muneris autorem agnoscere gaudeo, et gratias habeo. Secundam editionem Matthioli non censeo tibi emendam, sed exspec-



tandam tertiam, quæ nunc Pragæ sub prelo esse fertur, ducentis iconibus auctior: vidi ego icones aliquot, elegantes sane et multo majores quam in prioribus editionibus.

Scribo ad D. Jacobum Schad (cui hac in re me commendabis) et peto ab eo semina quædam de horto Kreichii, colligenda æstate proxima, si vixerimus. Quarundam etiam Icones peto, aut ipsas plantas siccas, aut partem de singulis, ut sunt, *Crocus silvestris* flore candido, *Pæonia mas*, *Cyanus exoticus*, *Coronopus Theophrasti*, *Lilia* quædam rara floribus rubris, *Hypecoön*, *Coris*, *Ceratia agrestis*, *Solanum fruticosum*, *Lonchytis*. Neque enim harum ullam in aliorum libris depictam adhuc exstare puto, præter *Corin* forte apud *Matthiolum*. Vale!

Tiguri 27 die Febr. anno 1559.

T. T. Conradus Gesnerus.

## XI.

Valeo Kenntmanne doctissime, si tu vales. Ego quidem Deum optim. max. oro, ut quam diutissime mihi et amicis incolumem te tueatur. Bonam proximi veris ætatisque partem peregrinationibus consumpsi: una Augustam, altera Argentinam suscepta: et nuper in thermis etiam nostris immoratus sum, et in re quidem herbaria non parum mihi profecisse videor, sed alia interdum neglexi. Moschionem tuo nomini dicatum, quominus ediderim hactenus fraude cujusdam hominis ambitiosi (qui veterem latinam versionem a typographo mihi concessam, sibi, ut suo nomine ederet, retinuerat) effectum est. Hac hieme, ut spero, nihil prohibebit, quominus cudatur. Icones etiam piscium cum nomenclaturis copiosius diligentiusque adscriptis et explicatis (jam dudum cœptæ sed intermissæ) hibernis mensibus proximis perficientur, Deo favente. Interim partim obiter,



partim ex professo in stirpium etiam historia pergo. Nuper intellexi Splitt Slavonice dictam herbam, rutæ montanæ aut Capnii genus quoddam esse, et effectus præbere mirabiles, quas in libro manuscripto reperi, de ea, si quid audisti aut inquirendo scire potes, ad me scribe. Si reperiatur, ut spero, (nuper enim Medici quidam ea usi feruntur, et ad diversos scripsi) vires ejus illas admirandas tecum communicabo. Non fuit adhuc otium conferendi Catalogum metallicorum tuorum cum meis, puto autem paucissima esse, quæ ego præter tua habeam, quorundam specimen perexiguum et fere *ἄτομον* habeo. Cum vacabit, inquiram. Mea certe in hoc genere pleraque omnia tibi debeo. Nihil prorsus e fodinis Helveticis rari apud me est. Ferrum fere solum foditur. Valerii Cordi opera quædam hac hieme Argentinæ (meâ curâ) imprimuntur. De autoris vita ac morte, si quid habes (potes autem cognoscere ex Ralla, Lipsensi Pharmacopola, cui aliquam eorum partem dedicari statui, nisi dissuadeat) paucis et mature ad me scribi cupio. Vale in Domino!

Tiguri, Augusti die 25, anno 1559.

T. T. Conradus Gesnerus.

Ut reliquos pisces Albis descriptos depictosque ad me mittas, cupidissime exspecto. Ego, quod promisi, præstabo; edito libro meo de hortis Germaniæ, quæ mihi nascentur cognosces, et quæ volueris petes.

## XII.

Cl. Viro D. Joanni Kenntmanno D. Medico præstantissimo fidelissimoque Domino et amico sincerissimo.

Cum perangusta ad te scribendi occasio mihi data esset, Domine et frater colende, volui hæc paucula scri-



bere. Accepī nuper literas tuas cum Indico aut Moschi (ut puto) mure et aliis, quæ misisti omnibus, mihi gratissimis. Murem ejusmodi nunquam videram. Conjicio autem verissimum Moschum ex eo colligi, et hanc ipsam esse, quam inter alia pretiosa odoramenta, D. Hieronymus muris peregrini pelliculum nominat. Judicium tuum de Basalto non possum non probare. Excuditur jam Catalogus tuus fossilium, et de calculis corporis humani liber, una cum D. Georgii Fabricii libello: quibus et alia puto addentur et mea quædam. Quamprimum absolutus fuerit liber mittam. Spero et Moschionem cum aliis Basileæ excusum iri. Libellus etiam de Isatide, quem D. Fabricius miserat, excusus est; cujus quot exemplaria sibi petat author cuperem mature cognoscere. Ego has litteras Norimbergam ad D. Hier. Heroldum mitto: quo tu etiam scribere poteris, si quid voles ante nundinas: sed festinatione opus foret ut ante eas acciperem. Vale in Domino, qui te servet perpetuo.

Spatula foetida his diebus mihi primum in horto floruit, quare non opus erit, ut florem pictum ad me des: jam enim curavi pingendum, et semen etiam spero secuturum; sicut et Iridis Illiricæ, quam habeo. Nam Iris vulgaris et alia flore lacteo in hortulo meo florem non ferunt, ut nec in aliis puto. Iris vero in palustribus pratis nobis proveniens abunde semen quoque maturat. Quæ ex plantis picta a te petii, si potes ad nundinas proximas mitte Francofordiam. In pingendo enim et sculpendo toti jam sumus. Pro sumptu, quem indicabis, satisfaciam. Vale iterum!

Tiguri 1561, Junii die 16.

T. T. Conradus Gesnerus.



## XIII.

Martio superiore, Clarissime Kennetmanne, cum literis meis ad te misi seminum variorum genera duodecim, et spumam salis e Burgundia. Nitrum copiosum nuper inveni decocto fonte quodam procul hinc in Rhæticiis alpibus. Ejus, si admoneas, specimen mittam aliàs, nunc non est ad manum. Toto fere mense in alpibus illis immoratus sum, ut partim fontibus medicatis ad valetudinem meam (quæ nunc Dei gratiâ mediocriter firma est) fruerer, partim stirpes inquirerem. Misi etiam libellos tuos. Et hæc te accepisse spero. Nunc summa festinatione hæc scribo, mittoque nunc Val. Cordi Opera cum nostro de hortis Germaniæ libello: nimis quidem negligenter et mendose impressa, quod factum non esset, si mihi licuisset impressioni adesse. Posthac cautior ero. In epistola ad Hieron. Heroldum, cui nuncupavi Cordi libros de plantis (quoniam manuscriptos ab ipso acceperam) mentionem tui feci, ut debui, nempe quod imagines aliquot in his libris a me positas, tuo beneficio debeat lector. D. Fabricio, si vacabit, scribam; sin minus, propter innumeras occupationes, quæ in angustissimum tempus mihi nunc concurrunt) tu eum meo nomine peramanter salutabis. Superioribus nundinis ad eum scripsi, neque operæ pretium nunc aliquid habeo. Cordi operibus si ipsum oblectatum iri existimas, mittam aliàs. Pudet me certe mei neminis in illis tam mendose excusis. Institutum tuum pulcherrimum circa Albis inclyti fluminis vestri descriptionem tripartitam, in specimine illo, quod misisti, summa cum voluptate cognovi, et gratias habeo maximas, primum meo nomine, quod nostræ petitioni tantum indulxisti, dein publico, quod præter ichtyographiam hujus fluminis, tractationem quoque avium ejus et chorographiam conscribis. Erunt procul dubio hæc omnia in utrâque linguâ



cognita longe jucundissima, et descriptionum rerumque ipsarum utili sane cognitioni picturae et icones summum addent ornamentum. Quid si chorographiam per se quoque in tabulam conjiceres, continuato ipsius fluminis ductu? Ea et seorsim et simul cum libro recte venderetur. Placet argumentum, ejusque divisio: placet ipsa tractatio et elocutio; nihil est, quod moneam, aut reprehendam, mi Kennntmanne. Deus, bonorum omnium auctor et promotor sua gratia tibi adsit, ut et cito et probe perficias omnia. Opere perfecto, si vixero et opus fuerit typographum aliquem commodum tibi invenire conabor: quanquam optarim, si fieri possit, ut apud vos alicubi, et in tua praesentia excuderetur, quo omnia emendatiora prodirent. Circa nomina piscium et avium quaedam forte te admonerem, in quibus a te dissentio, si omnium nomina conscripta haberem. In reliqua descriptione nihil hercle mutare potero. Nomina, si quae ficta sunt, ut Enneophtalmi, Lithodacae, admonebis (si placet) lectorem, semel saltem in principio operis. Sunt enim pauca: ne quis imperitior de coeteris quoque, quae veteres usurparunt dubitet. Enneophtalmum ego duplicem feci (si bene memini), majorem, quem vos simpliciter sic appelatis, et alium minorem. Mustelam laevem nullus, puto, scriptorum dixit: sed Galeum sive mustelam laevem, qui marinus tantum est. Percam minorem vestram (Paulpersing) Melanurum non vocarim, nam hic quoque apud veteres marinus tantum est, Auratae simillimus. Sed judicium meum omne de piscium nominibus brevius et clarius expositum reperies in libro, Icones aquatilium cum Nomenclaturis continente, qui impressus est hic anno superiore, quem si nondum habes, mittam ad te alias. Eodem anno avium icones emendatae et auctae hic sunt impressae, quas misisse ad te memini, item quadrupedum. Omnes recte in unum Volumen conjunguntur. Avium et piscium, si quas icones novas habueris, quae



in libris meis non inveniantur, rogo ut ad me mittas. Ego magna cum voluptate spectabo, et si volueris, *mox* remittam, deque singulis, quod ad latina nomina, quibus vocantur aut vocari possunt, sententiam meam candidè explicabo. Neque profecto amplius quicquam de avibus aut piscibus edam, quod e tuis excerpserim, donec tua prodierint. Rogo autem, ut ea perficere matures? Multa enim humanitus nobis accidunt. Specimen Albis tui resservavi, quia remittendum non expressisti. Si voles, mittam, quam primum potero, per Norimbergam forte. Mitto Oxymelitidis nostri Elleborati felicissimi sane remedii descriptionem: quam cupio te tibi servare, neque communicare, nisi uni atque alteri forte ex amicissimis et eruditis. Uxor mea gravissime affligitur varicibus cruris lævi, inveterato malo, cui ante biennium etiam ulcus accessit. Metuo ne sine sectione curari possit: sententiam tuam et consilium expeto, idque ut quam primum scribas, literis Norimbergam ad Paulum Olingerum Pharmacopolam missis, e Lipsia puto subinde aliquos proficisci. Descriptiones piscium a Cordo nostro relictas quas D. Meurerus Lipsiæ habet, gratissimum fuerit mihi, impetrari: exemplar, si volet, remittam et gratus ero. Eundem meo nomine officiose salutabis. Folia, quæ tibi desunt in historia piscium, ut Froschoverus noster e Francofordia ad te mittat, curabo, quod si fecerit, indicabis. In stirpium historia paulatim pergo. Tu, si quid obiter forte inciderit ad eam illustrandam cura et mitte per intervalla. Vale in Christo!

Tiguri 1561. Aug. die 28.

T. T. C. Gesnerus.

#### XIV.

Differo semper ad te scribere usque ad nundinarum tempus, tum vero et aliæ occupationes et litteræ innu-



mæ in diversas regiones me impediunt. Itaque inpo-  
 sterum forte extra nundinarum tempus majore otio scri-  
 bam, et litteras Norimbergam mittam, ut inde perferan-  
 tur Lipsiam ad amicum aliquem, ut D. Mauritium Stein-  
 metz Pharmacopolam vel D. Meurerum, a quibus tu ac-  
 cipies. Idem tu facere poteris. Norimbergæ autem tradī  
 poterunt D. Paulo Olingero, Pharmacopolæ vel D. Hiero-  
 nymo Heroldo, Medico. Mitto hoc tempore Cassii pro-  
 blemata a me conversa, et tuo nomini dedicata: quam  
 meam voluntatem ut boni consulas rogo. Exemplaria,  
 si voles, alias plura mittam. Superiori autumno Valeriū  
 Cordi opera ad te misi. Tradidit ea Josias Richelius ty-  
 pographus Argentinensis Conrado Rhuel Bibliopolæ Wi-  
 tebergensi a quo te accepisse spero. Remisi etiam Albini  
 tuum, et ut absolveres, hortatus sum. In hortis Germa-  
 niæ videbis, quænam stirpes apud nos et in meis hortu-  
 lis nascantur, et, quarum volueris, semina petes. Nunc  
 partim propter mille negotia, partim quod perpauca su-  
 periori æstate mihi provenerint, et multa aliunde missa  
 perierint, nulla mitto. Si vacat, mitte Catalogum hortū  
 tui, ut videam, quibus careas. Hoc præstat, quam ut  
 tu petas. Multa enim habui, quæ amplius non habeo.  
 In historia stirpium magnos subinde progressus facio, et  
 spero ad autumnum proximum me specimen aliquod ad  
 te missurum futuri operis. Aestate proxima Deo dante  
 montes aliquot remotos et præaltos adibo, quod et supe-  
 riori æstate feci, partim stirpium gratia, partim fontium  
 medicatorum, ut et fruerer iis ad valetudinem meam et  
 plenius de iis scribere possim in meo hujus argumentū  
 libro. Kreichius noster in horto habet cerasa quædam  
 novæ arboris (*Zwergfirschen*), quorum fructum suo tem-  
 pore cupio mitti, licet siccum. Ego Chamæcerasum mon-  
 tanum nostrum mitto, cujus nucleos pro Mahaleb ven-  
 dunt Lugduni. Basalti Miseni mentionem facit Agricola  
 de fossilibus p. 181. Ego lapidem hunc nondum novi et



videre cupio. Quinque angulis constare ait, et signi erecti specimen habere. Oxymelitis Elleborati mei descriptionem alias puto ad te misi: cujus experientiam si nondum fecisti, ut facias omnino te hortor, quo felicem ejus usum agnoscas, et vera me scripsisse intelligas. Plura nunc non vacat. Vale felicissime et omnia tibi de me promitte, paulatim tamen propter occupationum multitudinem.

Tiguri, 1562, Martii die 4.

Tuus ex animo  
Conradus Gesnerus.

## XV.

Usque adeone animus tuus totus a me alienatus est, optime mi Kenntmanne, ut perpetuum in me silentium decreveris? Aperi uno verbo per te aut alium tantæ indignationis causam: varia enim mihi in mentem veniunt; ex quibus, quid potissimum causser, non invenio. Anxius autem sum vehementer et dolet mihi ex animo tam diuturnum silentium, quod tamen facile ferrem, si de animo saltem tuo mihi constaret. Scripsi ad te anno 1561 autumno, et misi opera Cordi, et rursus 1562 Martio mense et misi Cassios duos in tuum nomen a me inscriptos cum seminibus Mahaleb: rursus ejusdem anni in fine Augusti cum seminibus aliquot generum. Tu vero perpetuo siles. Nunc rursus scribo et mitto specimen libelli nostri de lapidibus, proxima æstate Deo dante, imprimendi. In hoc specimine videbis mentionem tui factam, in sequentibus foliis facies etiam tua cum stemmate exhibebuntur. Inquisivi de te per amicos: Vivere et valere te audio, eoque nomine Deo gratias ago. Quod si non omnino omnem mei curam et amorem abjecisti, scribe duobus verbis, et tanta anxietate me libera. Litteras mitte Jenam ad Dominum Laurentium Hiel medicum,



sumum amicum meum, qui mature eas curare poterit. Ad illum quidem has etiam mittere volui, ut testis esset. Novit is ingenium meum: toto hîc anno mihi familiarissimus fuit, conscius est occupationum mearum. Moschionem tibi promissum nondum editum esse maximam suspicor esse tuæ abalienationis causam, sed exemplar græcum est longe depravatus, quam putabam, ut ejus fere me pudeat, aliud diu exspectans ex Italia mihi promissum, sed frustra. Nunc etiamsi haberem emendatissimum, non facile paratum ei typographum invenirem. Deum testor, me cupere in honorem tuum, vel hoc vel aliud quidvis facere, quod fieri honeste et opportune poterit. Jam toto fere biennio bellorum gravissimi metus a vicinis nostris Papistis, quibus dux Sabaudiae, Itali quidam, et Pontifex ipse, clandestino fœdere juncti sunt, nos suspensos tenent; jamque procul dubio bellum erupisset, nisi Gallici motus impediissent. Ad hos enim miserunt fidei nostræ hostes exercitum; cujus major pars quoniam interiit, jam rursus aliquot millia mittunt. Has et alias causas, quas nunc omitto, reputare te velim et mihi ignosce. Vale!

Tiguri, Martii die 23 anno 1563.

T. ex animo

Conradus Gesnerus.

Plura adscripsissem, munera chartacea quædam misissem, sed quid faciam de vita tua aut viventis animo incertus. Corpus meum si videres, imaginem mortis videres. Cupio interim tui causa, cum lucubrando, tum aliter quosvis labores perferre. Tu vero tui causa tam misere anxium vel verbo non solaris. An religio forsân te prohibet? Atqui circa illam nihil aut minimum dissidere nos puto. Si non rescribis et prorsus me abieisti, consoletur me Deus, et tuis in me beneficiis, quibus adhuc sum obligatus, ipse pro immensa bonitate sua



respondeat. Lacrimas addidissem, si saxum illæ movere possent. Iterum atque iterum vale, et vive quam felicissime, animæ dimidium meæ. Hæc raptim, ut perturbatus dictabat animus, effudi, et propter subitam nuntii profectionem non relegi.

Has litteras Cl. V. D. Georgium Fabricium quoque legere velim, quocum eadem fere mihi causa est. Eodem silentio erga me etiam schola Medicorum Witebergensis utitur, quibus opera Cordi dedicavi. Sed de illis non tantopere laboro, atque de vobis, de me toties, tam liberaliter meritis.

## XVI.

Præstanti Doctrina et virtute viro D. Joanni  
Kenntmanno, Doctori medico peritissimo  
et amico suo benemerito.

Litteræ tuæ, clariss. D. Kenntmanne, quinto Martii abs te datæ, 23 Augusti demum mihi redditæ sunt in thermis urbi nostræ vicinis agenti, quibus perlectis gratulatus sum mihi vehementer et Deo gratias egi, quod et vivis adhuc et incolumis, et mei memor esses. Quantum enim pro te sollicitus fuerim, quod tantum temporis nihil omnino litterarum a te accepissem, et quantum, ne omnem mei curam abjecisses, mihi timuerim ex binis aut ternis ultimis meis intelligere facile potuisti. Et agnosco quidem aliquam in me culpam, quod in illis, quæ maturius tibi præstare debui, tardior fuerim simulque adhuc, sed veniam peto, velutique inducias promissorum ad tempus aliquod, dum multis et magnis occupationibus meis diversis et lucubrationibus, quibus nunc incumbo necessario, aliqua ex parte defungar, si prius non licuerit stare promissis. Sed spero me brevi omnino meam erga te voluntatem aliter etiam declaraturum, de quo nunc tacebo. Malo enim posthac præstare quam



polliceri quicquam. Ab ultimis ad me tuis triennium ni fallor elapsum est, ex quo nullæ aliæ ad me pervenerunt hactenus. Accipio quidem lubens excusationem, scripsisse te, sed literas intercidissee, quod tamen miror, cum priores nostræ omnes fere semper probe sint curatæ. Ego quotannis bis, ad utrasque nundinas semel, hactenus semper ad te scripsi. Cum penultimis meis, quas sub finem Augusti superioris anni scripsi, semina diversa misi, ut Aconiti, cui flores albicant, Tithymali, Myricæ, Lunariæ Alysi, Drabæ, typhæ, seu bricæ, Doricæ herbæ seu Panacis Chironii et Hieracii cujusdam rari, quæ et ipsa metuo, ne interciderint, quoniam in ultimis toto anno nihil litterarum a me tibi redditum ais. Cordum et Cassium te accepisse gaudeo. Ad vernas hujus anni nundinas litteris ad te meis querimoniarum plenius specimen libelli nostri de lapidibus adjunxi, is quidem nondum est absolutus, hyeme proxima ut spero absolvendus. His scriptis, diligentius considerans, video te accepisse litteras illas Augusto superioris anni 1562 a me datas. Sed ante id tempus per annum, inquis, nullas meas te recepisse. Atqui ego ejusdem anni Martio mense Cassii exemplaria duo ad te misi, et femina Mahaleb; quæ et ipsa te accepisse fateris: sed tardius forsitan. Sed hæc mittamus, et majori in posterum diligentia amicitiam mutuam, ne diuturno silentio obsolescat, foveamus, si non prolixis, brevissimis saltem epistolis, aut si id non liceat, salutatiunculis. Satis enim mihi fuerit, te vivere non tibi solum et amicis tuis reliquis, sed mihi etiam, hoc est, me amare. D. Fabricio omnia fausta precor, et ut Ducum Saxoniarum historiam brevi ac feliciter absolvat. Mitterem ad eum, si quid esset, quo eum oblectatum iri sperarem. Sed nihil est in præsentia, nam Jodoci Vuillichi Magirica (quæ hac æstate utcunque emendavi, in gratiam typographi magis, quam quod illa valde probarem) tibi tantum mitto propter argumentum medi-



eum. Hieme proxima Dioscoridis libros 2 paratu faci-  
 lium medicamentorum græce et latine cum scholiis, quo-  
 rum partem a Jo. Moibano medico Augustano, morte  
 prævento, posteriorem relictam, mihiq̃ue legatam, ego  
 absolvi. Rihelius typographus Argentinensis impressu-  
 rum se recepit. Piscium Albis descriptionem et flusii  
 illius chorographiam nolim te omnino negligere. Nam  
 et argumentum te dignum est, et laboris pars major jam  
 confecta, et patriæ illustrandæ tuæ occasio fuerit apta.  
 Quod in pingendis ad vivum stirpibus in gratiam illu-  
 strissimi principis Electoris operam ponis, id tibi meum  
 commune est: sed proprio sumptu et sine patrono hac-  
 tenus innumeras mihi pingendas curavi partim diligen-  
 tissime et ad vivum, partim ita ut fieri potuit. Jam  
 etiam in formis ligneis pingi sculpique curo. Et tantus  
 jam factus est sumptus, ac fides data typographo, ut  
 omittere aut intermittere amplius hunc laborem non li-  
 ceat. Itaque pergam, Deo juvante, donec in lucem tan-  
 dem aliquando edere contingat, quæ per omnem fere æ-  
 tatem ab adolescentia mea hoc in argumento observavi.  
 Ad id certe opus etsi multi multa nemo tamen amplius  
 te uno contulit: quod equidem ingenue et libenter fate-  
 bor. Icones spero plures et meliores me daturum quam  
 in hunc usque diem factum sit a quoque. Matthioli ico-  
 nes in ultima editione germanica, quamvis magnæ non  
 satis tamen accurate, pleræque certe negligenter factæ  
 sunt. De aconito ejus primo (super quo jam diu mihi lis  
 cum eo est) nescio quis jam pridem ad me scripsit tibi  
 aliquid constare: et forte ab eo tempore, dum nullas  
 a te accepi litteras rescire aliquid potuisti. Id, quidquid  
 est, cognoscere cupio. Joh. Crato Cæsareus Medicus  
 Vratislaviæ mihi significavit, se radicem Aconiti, quod  
 pingit Matthiolus, domi suæ apud ipsum Pragæ vidisse,  
 ubi in convivio, quo Matthiolus ipsum aliosque medi-  
 cos excipiebat, id ostenderit; postea vero scripsit ean-



Idem radicem prope Vratislaviam inventam eamque misit. Est autem omnino ejus herbæ, quam tu Squammoriam vocas, germanice, Schuppenfraut: cujus radicem quidem aliquo modo (non recte tamen) representavit Matthiolus in pictura Aconiti primi, folia vero addidit Doronici, veluti monstro e duabus diversis composito. Cujus rei causa videtur, quoniam Doronicum alibi in horto nascens sine radice vidit demonstratum ei pro aconito primo (sicut amicus ex Italia ad me scripsit) alibi vero alius quispian Squammarie radicem pro eodem aconito ei obtulit. Utcunque est fictum, et fraus est quod pingit, sicut et aliæ quædam ejus picturæ. Sed hæc ad te privatim. Publice enim amplius crabrones irritare non libet. Ex herbis, si quas rariores nactus es, paucas saltem mihi nominato, ut vel nominibus me oblectes. Ego vicissim de rarioribus nostris totidem aut plura nomina tibi reponam, et res quoque ipsas, si voles. Petrus Perna Basilensis typographus promisit se hieme proxima publicaturum consilia Montani ad 400 puto novis consiliis aucta. Hæc te scire volui. Si extra nundinarum tempus ad me scribere tibi opportunum fuerit, Norimbergam ad D. Hieronymum Heroldum medicum litteras mittere poteris. Nundinarum autem tempore Francofordi Frosehovero typographo tradendæ sunt. Vale optime!

Tiguri, die Aug. 25. anno 1563.

T. T. Conradus Gesnerus.

## XVII.

A. V. Doctõri Jo. Kenntmanno medico eruditione et artis usu fideque summo, amico optime merito S.

Litteras tuas suavissimas, doctissime Kenntmanne, sub Julii finem a te datas nescio qua infelicitate heri



primum (hoc est Februarii die 15) accepi a D. Hieronymo Heroldo missas Norimberga. Quamobrem tarditati meae respondendi condonabis, quamquam nihil est fere quod responsum postulat præter hoc quod scribis te quinto Martis superioris anni ad me litteras dedisse, Norimbergam itidem ad Olingerum missas. Quas ego accepi quidem, sed sub finem Augusti demum, ac mox respondi per Nundinas Francofordienses. Alias si ad Olingerum miseris, admonendus est uno verbo, ut Augustam ad D. Achillem Gasserum medicum mittat, a quo citissime transmittentur. Litteras meas an acceperis indica, et simul libellum Magiricorum, quem misi. In præsens quod mittam nihil est. Totus in stirpium historiam me abdidi. Interea cogor etiam de lapidibus et metallis librum abortivum edere, quod fiet, spero, æstate proxima. Dioscoridis librum Parabilium, nusquam ante hac editum, cum commentariis Moibani medici, ab illo, morte prævento, non absolutum, a me vero postea, Argentinae excudendum curo, ad nundinas autumnales proditurum, ut promittit typographus. Ad stirpes, lapides et metalla tu unus omnium plurima liberalissime communicasti, quod fateor et fatebor in libris meis. Hæc ipsa vero causa est, cur hactenus fere ingratus extiterim propter summas occupationes meas, ut amplius nihil harum rerum a te petere ausim. Spero autem, si quid admodum rarum in stirpibus aliisve rebus se tibi obtulerit, sponte tua te communicaturum aliquando. Faciem tuam in libro meo de lapidibus ac metallis invenies inter terras, quoniam tu quoque illam terris quibusdam impressam ad me misisti. Plura non licet. Avocor ad ægrotum et festinat nuncius. Vale vir clarissime!

Tiguri, 1564, Febr. 16.

Suavissimis litteris tuis Torgæ datis, 20 Decembris, vir præstantissime et amicorum candidissime, sero mihi



redditis, respondi nuper Junii die 24 litteris Augustam ad Achillem Gasserum medicum missis, et spero illas jam tibi redditas esse. Simul autem gratias egi pro accuratissimo libro tuo de calculis corporis humani. Hactenus quidem liber de lapidibus et metallis imprimi nondum potuit. Nunc pestis apud nos incipit. Elucrubabor, quamdiu Deus O. M. vitam concesserit, et tui perpetuo memor ero, et quaecunque edidero, mittam. Nunc festinanti et occupatissimo mihi veniam dabis. Mitto doctissimi cujusdam Medici Galli experimenta quædam circa aurum potabile: si quam nec nimis difficilem neque pretiosam nimis rationem noveris, communica quæso: et vicissim mihi, ubi volueris, tot modis tibi obstrictissimo, impera. Vale!

Tiguri 1564, Aug. die 27.

T. T. Conr. Gesnerus.

Saluta D. Kreichium. Arthriticæ Alpinae unicam in hortulo plantam habui, ejus semen, nescio quomodo mihi intercudit: quod si etiam collegissem, vix sperassem, inde nasci potuisse. Refugiunt enim nescio quomodo alpinae illæ plantæ humiles tractus. Mitto tamen ei genera 7 seminum rariorum et peto ut ipse etiam pauca alias de rarissimis suis mittat. \*)

### XVIII.

Ante paucos dies, Clarissime et doctissime D. Kennmanne, desideratissimas litteras tuas Torgæ datas 22 die Decembris proximi elapsi, Maji die 20 Constantia missas primum accepi. Et paulo post alteras proximo Aprili a te scriptas. Et quamquam certum nuntium nunc non

---

\*) Hanc epistolam edendam curavi quomodo in Apographo editionis Vitebergensis 1584 descripta erat, quamvis ordine turbato.



habeam, ac metuam, ne tardius hoc responsum meum tibi reddatur, respondere tamen volui, litteris Augustam ad D. Achillem Gasserum medicum, amicum meum transmissis: illum rogo, ut Lipsiam ad M. Ernestum Vogelium typographum, affinem meum mittat, a quo tu spero facile accipies, si modo melior fortuna deinceps quam hactenus litteris nostris adsit. Querelis meis si te offendi, veniam peto; extorsit illas mihi mei in te amoris magnitudo. Libri nostri de lapidibus et metallis editionem gaudeo hactenus dilatam esse partim propter meas occupationes partim propter typographi culpam, et forte adhuc in hiemem usque proximam differetur. Basileæ pestis grassatur. Nos aëre adhuc salubri, Deo gratia, fruimur, sed aliæ causæ typographos nostros duos impediunt. Ego quidem variis negotiis ita distrahor, ut neque mihi, neque in amicos officiis, ut par erit, satisfacere queam. Hæ occupationes obstant, ut nunc etiam lapidum, quos habeo, qui pingi queant, nomina ad te dare non vacet. Et quia satis multos habere mihi videor, hoc tempore pro voluntate tuâ, qua mihi offers tuos, quibuscunque caream, in præsentia gratias maximas ago. Ubi autem impressus fuerit liber, mittam ad te, (si vitam nobis mundi Dominus dederit) et rogabo, ut quos deesse mihi animadverteris, pro secunda editione aut adjungenda appendice communices. In Argillis aut terris quibusdam faciem tuam et arma sive insignia reperi, quæ sculpenda quoque curavi, cum ut materiam ad hoc aptam esse appareat, tum ut faciem atque insignia tua, a quo et hæc et alia innumera accepi, ceu gratitudinis qualecunque specimen lectori exhiberem. Moschionis moram ferre te æquo animo valde gaudeo, neque ejus ego immemor ero. Inprimis vero suavis et jucunda hæc tua obligatio mihi fuit, qua singulis Lipsensibus nundinis tuarum litterarum spem mihi facis, et te totum mihi ex animo offers. Quo quidem tam candido, quam



ultroneo pectore tuo, nihil in hac vita suavius et optatius mihi contingere nunc posset. Quamobrem et gratias immortales tam amicæ immo fraternæ benevolentiae tuæ ago, et ut a me quoque vicissim omnia, quæ summum et intimum amicum, immo fratrem decent, officia expectes peto. Video quidem nos præter cœtera ætate etiam fere convenire, etsi ego paulo major natu sum. Herbarium a te confectum esse, quo summo artificio depictas herbas 600 illustrissimo Principi Augusto Electorî obtulisti, gaudeo sane et gratulor tibi. Magnitudinem et pulchritudinem certe picturarum in specimine illo Ellebori nigri, flore candido, quod ad me misisti admiror; pro eo etiam, quod jubes ut petam si quæ mihi desint ex catalogo, quem addidisti, merito equidem, amicorum optime et liberalissime, tantum tibi debeo, quantum tu ipse volueris et petieris. Catalogus tuus nunc non est ad manum, et festino propter varias occupationes, quamobrem nihil in præsentia peto. Sum et ipse subinde in variis plantis depingendis occupatus. Ellebori nigri tres species in hortulo mihi crescunt, quarum una florem lacteum facit, qualem misisti: eam proximâ hieme mediâ florentem ex Italia accepi; pictum quidem etiam antea acceperam. Vidi et purpureo flore, aut florum potius calice, qui imperitis flos videtur. Affirmant aliqui in eâdem planta album esse florem, qui postea adultior purpurescat, de quo mihi nondum satis constat. Jucundissima mihi fuit effigies tua, quam vasculo e Juniperi ligno inclusisti, eamque inter thesauros meos habebo, donec, quod opto nobis divinitus concedi coram aliquando intueri nos mutuo contingat. Sin minus, melioribus animi oculis meliorem nostri partem aspectando permutua litterarum colloquia et officia nos interim consolabimur, donec in meliore vita Deus O. M. nos conjungat. D. J. Kreich, virum de me bene meritum, resaluto. Verbasculum montanum spero me ad nundinas Sep-



tembris Francofurdia ei missurum. Venio ad posteriores litteras tuas, Torgæ datas 21 Aprilis, cum elegantissimo libello tuo de calculis, qui in humano corpore nascuntur, cui per se muneri sane splendido, erudito, raro, et mihi longe omnium gratissimo, ex argento etiam nummos duos bene crassos adjecisti, ut me prorsum omnibus modis tibi adstrictum et obligatum redderes. Ego cum liberalitate tecum certare forsitan non possim, nec hic artifices tales habeamus: interim donec occasio remunerationis aliqua mihi exspectatur, Deum orabo per unigenitum suum filium D. N. Jesum, ut te mihi et tuis et musis nostris incolumem conservet, idque tota mente orabo. Multis jam modis expressam iconem tuam habeo, et sæpius inspectare et Deum tibi propitium optare soleo. Accepi etiam carmen de insignibus familiæ Kennmannicæ a M. Laur. Dommhofero conditum, idque magna cum voluptate perlegi. Pro hoc et aliis omnibus et calculis seu lapillis unâ cum libello, quo eos describis, ad me missis, iterum atque iterum gratias ingentes, (immortales vellem si possem) benignitati erga me tuæ incomparabili habeo agoque. Ego hoc tempore ad te nihil mitto; spero autem ad Septembrem missurum me aliquid, quod faciam tunc libentius, quoniam certius tibi redditum iri spero. Tum etiam scribam plura, et ad D. Fabricium quoque, quem nunc officiose saluto. Manum ejus de Callinæ gemma agnovi et sum deosculatus. Jubebis eum quoque aliquid ad nundinas proximas a me exspectare. Quod si mature has acceperis, percipio, Basaltæ specimen aliquod ad me mitti: cujus picturam juxta fulmineum lapidem in medio perforatum in tuo de calculis hominis libello posuisse videris incudis forma, de quo tamen dubito. Catalogum rerum fossilium tuarum, quem jam olim a te accepi cum meo de lapidibus libello conjunctum edere statueram, si non dissuaderes. Sed cum numerus rerum illarum a te nunc, ut intelligo, valde



sit auctus, consilium muto: nisi tibi placeret et vacaret Catalogum illum de novo, ita ut auctus esset rebus tuis novis omnibus, describendum curare, et ad nundinas proximas Francofordiam mittere. Sed hoc totum tui consilii et iudicii esto. Osyridis nomine depicta a te herba in libro tuo, olim mihi concesso, mihi ignota est. Si potes, vel alio nomine mihi eam indicare, aut specimen ipsius siccae mittere, gratum erit. Cupio etiam scire an in herbario tuo, illustrissimo principi oblato, facultates quoque stirpium exponas, et, an animus sit, aliquando edere. Quod ut facias hortor. Nam eo citius res herbaria excoli et absolvi poterit, quo plures diversis in regionibus eam coluerint. D. Laur. Hiel meo nomine salutari cupio, si contigat, ut ad ipsum scribas. Nam ejus litteras exoptatissimas toto jam seculo mihi desiderare videor. Vale felicissime.

Tiguri 1564, Junii die 24.

T. tanquam frater amicissimus  
Conradus Gesnerus.

Si potes doce, quæ sit Rorippe herba a Saxonibus dicta, cujus Eur. Cordus meminit. Item Eierfraut, ab avis dicta herba, quæ sit.

## XIX.

Cl. V. D. Joanni Kenntmanno medico, Doctrina et artis usu primario, Domino et amico suo observando.

Litteræ tuæ Torgæ datæ, Octobris die 5 Norimberga tandem ad me missæ, Januarii die 9 demum mihi redditæ sunt, Kenntmanne ornatissime, cujus moræ causam esse puto D. Heroldi medici, ad quem missæ fuerant diuturna absentia. Sed gaudeo omnia salva ad me pervenisse. Et cum ex inopinato hodie nuntium Norim-



bergam profecturum reperissem nolui differe responsum  
 ad Francofurdienses usque nundinas. Spero autem hasce  
 citius ad te perlatum iri. Litteræ tuæ semper elegantes,  
 eruditæ et bene descriptæ pictæque sunt, meæ rudes et  
 festinatæ: quod partim occupationibus meis, partim etiam  
 visui luscioso, ne dicam, semicæco attribues. Valeo  
 alioqui, Dei gratia, satis commode pro meo tempera-  
 mento. Pestis Dei gratia ante mensem nos plane reli-  
 quit. Deus te quoque incolumem cum familia servet.  
 Pro iis, quæ de Osyride et Rorippa aliisque scripsisti,  
 gratias ago. Rorippa quidem a Fuchsio et Trago ger-  
 manice *Welsamen* nominatur. Estque seminis etiam usus  
 ad lumbricos et calculos renum pellendos: ad sanguinem  
 sistendum vim ejus hactenus ignoravi: grata est *Stru-*  
*thiopteridis* pictura. *Rhabbarbari* folium cum eo, quod  
 pinximus, conferam, ut emendetur. Conjicio autem  
 speciem *Lapathi montani* esse. Et verum quoque *Rha-*  
*barbarum* apud Persas ac Indos non nisi *Lapathi* speciem  
 esse, odor fere, saporque color ac vires testantur; et  
*Rhaponticum* verum, quod quo frigidiores nascitur loco,  
 tanto propius ad *Lapatha nostra* accedit: inter nostrum  
 ac *Persicum* mediæ forte naturæ. Quæ cum ita mihi  
 persuasa sint Iconem *Rhabbarbari* a *Matthiolo* positam,  
 quæ floribus et alias a *Lapathi* natura procul recedit,  
 sane suspectam habeo. Gratum est et *Hemionitidis* fo-  
 lium. *Spatulæ foetidæ* florem nunquam videram: proinde  
 picturam ejus abs te peto. *Molucca indica* jam in horto  
 mihi provenerat ex semine, sicut et *Lilium Turcicum* ex  
 radicibus cum terra missis ad me *Verona*: nam semen  
 non fert: Missum est autem *Gladioli Indici* nomine.  
 Ego ad *Asphodeli* species retulerim. Sed in his quoque  
 plurimum debeo voluntati tuæ et picturæ sua magnitu-  
 dine elegantiaque perplacent. Habueram et *Creti eum*  
*Thlaspi*. Posthac nullas stirpium icones te mittere ve-  
 lim præterquam illarum, quas petiero, ne sumptus fru-



stra. Si quas vero rariores habes, illas mihi nominari aut florem foliumve siccum mitti sat fuerit. Lapidum picturæ, quas misisti, sane mirabiles sunt, et ut incognitæ mihi antea, ita longe acceptissimæ. Cyclaminum minus si magnitudine tantum differt a majore non requiro. Arisaron quoddam habeo foliis angustis et longis, sed hactenus nondum mihi floruit. Accepi et Basaltæ specimen et folia aliquot Catalogi fossilium tuorum, cuius reliqua etiam ut primo quoque tempore ad me mittas, vehementer te oro, quo possit mature edi cum meis. Matthioli stirpium commentarii latini novi ad Nundinas vernas Francofordiam ferentur, in folio regali, ut audio: an vero aliquid amplius, quam Germanici contineant nescio. Germanica nomina fossilibus addi placet mihi: et velim etiam Bisultæ Germanicum nomen ex te discere. Herbam Eierfraut Dodonæus Saxifragæ aureæ nomine appellat. Hæc brevissime sub tenebras noctis ad tuas respondi. Francofordiam iterum scribam Deo favente ad Ernestum Vogelium et Euporista Dioscoridis nostra ad te mittam. Vale felicissime dulce decus meum, et vive in Domino.

Tiguri, 1565, Jan. die 27.

T. T. Conradus Gesnerus.

## XX.

Summa doctrina et virtute viro, D. J. Kennemann, Dresdensi, Doctori Medico et Philosopho præstantissimo, Domino et amico suo sincerissimo.

Longiorem epistolam Froschewero typographo nostro ad te commisimus cum lexico latine-græco. Hanc vero brevissimam scorsim ad Ribelium, Argentinensem typographum, misi, ut Francofordiis meminere Parabilia Dio-



scoridis addere, quæ cum his litteris spero accipies. Angelicam audio nasci in Bohemiæ montibus et in Misnia contermina: radice nigriore quam sativæ: cujus radicis specimen exiguum cupio aliquando videre. Viperæ veræ aut saltem cognati serpentes an usquam in Germania reperiantur, dubito, et miratus sum, cum legerem in libro Cornarii de peste, Basileæ olim excuso, p. 79. Thomam, Misenum pharmacopolam Riga apud Livones theriacam componere solitum viperis arte quadam istic etiam a se captis, quas (inquit) per omnem ubique Europam haberi et capi posse affirmabat. Ego in hac re iudicium tuum desidero. Mihi in Germania aliisque frigidis regionibus viperam reperiri non fit verisimile, et forte ne quidem in Italia habetur, sed genus aliud, quod Marassum vocant, in eo cognatum, quod et ipse non ova sed catulos vivos pariat. Sicuti et Cœculia serpens, apud nos est *Blindschleicher*, quod Basileæ pharmacopola quidam pro vipera uti solet. Ego vivam habui veram Syrtiacam anno superiore Verona ad me missam a pharmacopola, qui loco quodam aprico et saxoso muris septo eas feliciter alit. Quod si veræ viperæ haberi non possent et trochisci theriaci nobis essent suspecti, ut sæpe sunt, interrogatus ego, quid substituerem: sulphur vivum lectissimum respondi: de quo itidem sententiam tuam expeto. Vale!

Tiguri 1565. Martis die 25.

T. T. C. Gesnerus.

## XXI.

Ego vero, charissime frater, ita jam sum securus et confirmatus animo de sincera et perpetua tua erga me amicitia atque benevolentia, ut magno litterarum apparatu et multis præfationibus minime opus mihi apud te fore existinem amplius, sed omnino amice, familiariter,



fraterne ac simplicissime ad te scribere ausim, quod tu etiam mutuo facies. Respondeo nunc ad binas litteras tuas, quarum priores quinto Octobris datæ, Januarii 9 demum ad me pervenerunt. Alteræ vero Decembris 17 (si bene lego) datæ, multo citius redditæ sunt. Quæ misisti, omnia recte ad me perlata sunt. D. Fabricii libellum de metallis cum Jacobi fratris ad te epistola accepi, quæ sane mihi gratissimus est et ipse nunc ad eum scribo. — Pro iis, quæ de Osyride, de Accipitrina s. Sanguinaria scripsisti, gratiam habeo, ut etiam pro pictura et portiuncula Strutiopteridis, pro folio Rhabarbari, quod curabo emendandum; et altero Hemionitidis. Rhabarbarum apparet plane cognatum esse Lapathorum generi, sicut et Rhaponticum verum, quod inter Rhabarbarum atque Lapathum nostrum medio fere locò collocarim, conjecturis a sapore, et facultatibus inductus, Lapathum certe magnum, foliis rotundis, radice non dissimili, etiam in Alpibus nostris observatum a me memini. Unde fit ut exhibita Rhabarbari a Matthiolo figura sane mihi suspecta sit. Lilium rubrum Turcicum, cujus flos uno die tantum durat, semen autem non fert, si D. Kreichius in horto non habet, mittam ei radicem recentem autumnoproximo si vixero, et alia quædam. Nunc ad ipsummet scribo et varia seminum genera mitto et Verbasculum alpinum. Spero vos omnia habere communia. Quidquid de iisdem aut aliis tu quoque desiderabis, proximis litteris petes. Pro picturis perelegantibus Lilii hujus et Thlaspidis Cretici aliisque cum Epistola illa missis, inter quæ fuerunt nummi duo crassi argenti, quorum alter imaginem tuam repræsentat, gratias tibi egi nuper etiam litteris Norimberga missis Januarii die 27. Volui autem paucis repetere, si forte responsum illud non accepisses. Arisari picturam accepi aliquando a D. Leuchsnero sine coloribus. Et quamquam herba mira est, flore præsertim, nihil tamen peculiare præter Aron et draconaculum



habere puto: nescio an fallar. Catalogum rerum fossilium accepi jam integrum et curassem ad has nundinas prelo absolvi, sed operas non habuit patruelis meus propter grassantem pestem, a qua Dei gratia sub ipsum Domini natalem liberari cœpimus. Ab his nundinis ut imprimantur omnia operam dabo. Cierfrant vestra est saxifraga aurea Dodonei. Lapidem depictos etiam accepi: et de Isatide libellum, quem nunc remittere volui. Sed patruelis meus rogavit, ut sibi concederem imprimendum: cujus specimen mitto. Spero id authori non ingratum futurum. Si tamen addere ad finem libri aut mutare aliqua voluerit, faciet id mature ut proximæ æstatis mense Junio aut Julio ad summum ad nos perferri possit. Jubebo enim ultimum folium tam diu differri. Simul etiam quot exemplaria ad se mitti petat, perscribet. Sed hæc forte ad D. Fabricium scribere debueram, tibi non molestum erit ei significare et mittere specimen. Cum tuis posterioribus Basaltum denuo pictum accepi: pro quo nimium certe facili et liberali animo tuo in me plurimum tibi debeo. Porro, quod non solum in gratiam meam Catalogum tam operosum perficere voluisti, sed eundem quoque in meum nomen, supra quam mereor, et honorificis titulis, et mearum lucubrationum splendida laude adjuncta inscribere dignatus es, et publice de metallico tuo thesauro, quidquid petiero liberalissime offerre, in eo sane summam virtutem tuam ac liberalitatem exosculor atque amplector, et me meaque vicissim omnia tibi studia atque officia, et quidquid in rebus meis est, sincero animi candore offero. Deus O. M. propter unigenitum suum te mihi tuisque et arti nostræ illustrandæ tantisper animo et corpore incolumem conservet, donec is idem occasione et facultate debitam tibi gratitudinem referendi, aliqua magis, ex parte quam hucusque factum est, me juverit. Moschionis memoriam non deponam. Thomas Guerinus, Basiliensis ty-



pographus, recepit se impressurum cum aliis quibusdam muliebribus. Pro strenua tua, qua me calculis aleatoriis triginta elegantissime profecto factis, et quarum similes hactenus non videram, donasti, gratias ingentes ago. Ego nec argentum nec aliud hujusmodi pretiosum ad te mittere possum; et desunt nobis artifices, quare chartacea nostra munuscula boni consules. Mitto nunc Lexicon latino-græcum, cui nihil inscripsi: ut si usui forte tibi ac tuis non esset, amico aut cui volueris dones. Curabo etiam ut Argentina aut potius Francoforto e nundinis Parabilium Dioscoridis liber a Moibano quodam Medico Augustano translatus et scholiis expositus, a me vero post ejus mortem absolutus ad te mittatur. Epistolam tuam Friburgum ad Patruelem scriptam Basileam misi ad amicum meum Medicum Theodorum Zwingerum, cujus forte lucubrationes aliquas vidisti; nunc etiam volumen magnum, cui titulus Theatrum vitæ humanæ a Con. Lyeosthene inchoatum ab ipso perfectum prodit (sunt autem loci communes exemplorum ex historiis). Rescripsit se recte curasse. Addideram schedam, ut patruelis tuus, si quid respondere tibi vellet, mature huc ad me mitteret, sed nihil adhuc respondit. Iconem tuam et insignia et cistam loculamentis distinctam, quibus fossilia tua digessisti, diligenter sculpi curabo. Vale in Domino!

Tiguri, 1565. Martii die 23.

T. tanquam frater  
Conradus Gesnerus.

Epistolum aliud ad te Argentinam Rihelio mittam, eam solum ob causam, ut Francofordia Parabilia Dioscoridis ad te mittere non obliviscatur.

Mitto et de peste libellum nostrum, nuper hic editum, de communi sententia duorum hic medicorum et



meâ, sed populo scriptum non Medicis: De quo censuram tuam libere te velim proferre.

## XXII.

Cl. Viro D. Jo. Kenntmanno, Doctori Medico, Physico Torgensi, totius rerum naturæ peritissimo, Domino et amico suo incomparabili et honor. S.

Accepi tua omnia, amicissime D. Kenntmanne, et medio Julii superioris gratias egi, litteris Norimbergam ad D. Hieronymum Heroldum missis: quas spero te accepisse sicut et Euporista Dioscoridis, cum latino-græco Lexico, quæ nundinis vernis miseram. Nunc mitto impressa exemplaria tua, numero 6, plura missurus, cum primum petieris. Typographus se tibi obligatum ait, et de libris a se aut fratre defuncto impressis, si quos petis, ut accipias operam dabo gratitudinis ergo. Nihil autem forte est ex illis, quod delectare te possit, nisi forte volumen Chirurgicum in folio excusum, in quo multi Chirurgiæ scriptores excusi sunt. Eo si careas et desideras, indica. Ad D. Georgium Fabricium etiam scribo et mitto ei exemplaria tria. Libelli de Isatide etiam impressi sunt, quorum exemplaria aliquot typographum Francofordia transmittere D. Fabricio jussi, quem moneo, cum acceperit, tibi etiam exemplar, ut communicet. Quod me attinet pro tua tam honorifica mihi inscripta dedicatione, ac tot laboribus ac sumptibus meâ causa susceptis, quodque maximum est, pro optimo et benevolentissimo tuo in me animo, me meaque omnia, quidquid ingenio, corpore et fortunis meis possum aut poterò unquam, tibi offero. Tot quidem tantaque et vetera tua, et nunc nova hæc beneficia in me tua sunt, ut nisi tu animum meum paratissimum tibi, amantissimumque et observantissimum tui, pro aliqua gratitudinis parte accipias, perpetuo ingratus sim futurus. Conabor tamen



(cum Deo) rebus etiam ipsis aliquibus præstandis paulatim et per intervalla, per omnem vitam me tibi declarare. In præsentì librorum tuorum impressione si quid peccatum animadverteris, admone et emendabitur alias. Dubitavimus et hæsitavimus alicubi in Germanicis quibusdam vocabulis præcipue, quod et res ipsæ quædam nobis incognitæ essent, et Dialectus vestra non parum a nostra dissideat. Aliàs cum otium majus fuerit, de paucis quibusdam dubiis ad te scribam. Inspexi exemplar ante prelum, et paucula quædam circa Ortographiam mutavi: in Germanicis forte typographus me nesciente et nolente aliqua ad nostram Dialectum deflexit. Sed ea pauca et parvi momenti esse puto. Tu melius videbis et admonabis, aut etiam objurgabis nos libere, si quid peccavimus. Non vero solum ante prelum, sed primam quoque formam impressam inspicere, et librarii seu compositoris, ut vocant, errata egomet corrigere volui, non minus in tuis quam in meis. Rogo autem, ut meum quoque de figuris lapidum librum (quem nimium sane festinatum et in typographi gratiam circa finem etiam mutilatum, ut ad nundinas absolvi posset, quod ille urgebat, emisi) per otium paulatim inspicias, et de illis omnibus, ubi aliquid emendandum tibi videbitur, pro tuo candore liberrime me admoneas. Agnosco enim, quam multa adhuc in harum rerum cognitione me lateant, de quibus tu recte judicare potes. Insignia familiæ tuæ spero recte sculpta esse. Mitto etiam ad te Practicam Medicinalem cujusdam Galli anonymi, hic impressam nuper. Typographus ægerrime ad nundinas libellos nostros absolvere potuit, quare colores addere non licuit. Ad proximas vero nundinas, si vita dabitur, plurima exemplaria coloribus illustrata habiturum se ait, quo tempore ut tu etiam accipias, meminero. Plura nunc scribere non vacat, propter epistolas alias quamplurimas, quas Francofordiam nunc mitto, ut inde in di-



versas regiones ad amicos distribuuntur. - Audio Era-  
 mum Reinaldum quendam Germanum, nescio cujatem,  
 Bononiæ in Italia Medicinæ studiosum fuisse anno 1560,  
 qui apud Ulysses Aldrovandum medicinam profitentem  
 Bononiæ, rei herbariæ studiosissimum, mentionem fece-  
 rit Glycyrrhici in Germania nascentis, radice rubra, flore  
 purpureo, item Glycyrrhici Echinatæ (cujus particulam  
 ego siccam habeo, radicem et florem desidero) Gladioli  
 flore cœruleo Islebiæ nascentis (ego purpureo tantum  
 flore vidi), Lupuli triplicis, quorum unus cœruleum,  
 alius luteum florem habeat, tertius forte vulgarior est:  
 postremo Vermiculi a Divo Joanne denominati, alii ni-  
 gris, albicante per medium puncto, cujus pars inferior  
 ventris siccata sub cineribus, pro tingendo serico, quod  
 Chermes (Kermes) dicitur, usurpetur. De his si forte  
 aliquid cognovisti, cupio per otium a te certior fieri,  
 tum Aldovrandi, tum multo magis meâ causâ. Oleaster  
 Germanicus a Cordo dictus, estne frutex ille, quem  
 Rhamni nomine depictum in libro Iconum tuo vidi? Hæc  
 dum scribo litteræ mihi redduntur Vercellis scriptæ a  
 Fr. Alexandro Vercellensi medico, cujus liber Apollo  
 inscriptus Venetiis nuper impressus est: omnem (ut ti-  
 tulus habet) compositorum et simplicium normam suo  
 fulgore ita irradians, ut ejus meridiana luce contenti Me-  
 dici et Pharmacopolæ omni librorum copia neglectâ ad  
 quævis opera facillime se accingere valeant. In eo libro,  
 sive Antidotario, multus est passim contra Matthiolum.  
 Promittit autem mihi, se multa rara ad me missurum,  
 inter alia Satyrion verum, sed forte non ante ver pro-  
 ximum. Ego nunc demum, omissis rebus aliis omnibus  
 formam operi herbario meo addere incipiam, cum hacten-  
 us in materia tantum colligenda occupatus fuerim, et  
 alia etiam quædam egerim. Spatula foetida mihi quoque  
 hoc anno demum floruit, et nunc fructum habet, sed  
 nondum maturum, sicut et Iris illyrica. Mitto specimen



herbæ mihi incognitæ ex horto meo, in A Scheda, cui  
 flosculi sunt luteoli, inodori; folia Leuconii: semina in  
 folliculis, ut vides: et aliam in B Scheda, quæ Thlas-  
 pidio cognata videtur, æque acris est aut magis, et ama-  
 rior multo. Sesamoiden aliqui vocant, quibus et ego sub-  
 scribo. Quod si id non esset, ejus tamen vires habere  
 judico. Sententiam tuam de utraque exspecto. Si tibi  
 constaret, ubi diem suum obiisset Cornarius et an inter  
 libros ab eo relictos inveniretur adhuc Plinii Exemplar  
 ab eo emendatum, quod hæredes forte vel commodato  
 mihi darent vel typographo alicui empturo venderent  
 æquo pretio, gratum foret id intelligere. Schisti nodum  
 et Morion seu Pramnium et Enerinon, quorum Agricola  
 meminit, libenter viderem. Si potes, mitte, et remit-  
 tam: Et lapidem ossi similem qui in cotis aut coticulis  
 reperitur, quem fractæ articulationi ossium similem esse  
 scribit Agricola sub finem libri 4ti de ortu et causis sub-  
 terraneorum. Mitto costi radicem, quam Lusitanorum  
 navigationibus debemus: ea an tibi quoque Costus vera  
 existimetur indica. Matthiolus eam habet in suis latinis  
 Commentariis hoc anno impressis Venetiis, quæ radix  
 Zingiberi similis est, major, laxior, et sublutea, quam  
 ego Zingiberis potius quam Costi speciem crediderim.  
 Eam quoque si petieris, mittam. Vale feliciter!

1565, Tiguri Augusti die 27.

Muliebria nostra tandem aliquando, spero, prodi-  
 bunt. Fefellit promissionem suam typographus Basilien-  
 sis. Sed fiet tandem aliquid, Deo favente. Saluta offi-  
 ciose D. Joach. Kreichium, cujus etiam horti Catalogum  
 cum occasio se offeret, excudendum cum aliis quibusdam  
 curabo. Raptim, non relegi.

T. ex animo

Conr. Gesnerus.

F I N I S.



## Specimen epistolarum ejusdem ineditarum.

## I.

Gesneri epistola ad Bullingerum scripta Parisiis  
cum annum ageret decimum octavum.

*Eximio viro D. Henrico Bullingero, Tiguri a sacris  
concionibus, patrono studiorum optimo Salutem!*

Jam fere annus est, qui nobis tamen vel seculum vide-  
tur, quod nihil a vobis litterarum accepimus. Alii diu-  
turno silentio sæpe in alienam, atque secus, quam res  
habeat, opinionem veniunt. Sed vestra in nos propensa  
voluntas atque studium etiam sine litteris, et ut ita di-  
cam sine tessera, nunquam non testatissima nobis erunt.  
Sollicite tamen interim et quasi aperto sinu puerorum  
instar litteras a vobis et avide exspectamus et tacite  
poscimus, quo, cum de nostratibus omnibus tum vero de  
te præcipue et patria certiores fiamus: ὡς οὐδὲν γλύκιον  
ἢ πατρίδος, nosti Homerica. Quod ad nos, Ammiano  
scripsimus, quem, si modo redditæ sunt, rem omnem  
tibi aperuisse arbitror. Te, cujus es humanitatis Clie-  
tes non neglecturum speramus, atque adeo certi de fide  
tua sumus. Spes fere dubia esse solet, ὃ δὲ ἀνέλπιστος  
βίος, ἄριστος. Nos quoque jam olim multis iisque magnis  
tibi nominibus obligati, certam magis tuam benignitatem  
fidemque spe conceptam habemus. Amaltheam inter si-  
dera collocatam ferunt, quæ Jovem nutrisset, tu vero  
quantam laudem merebere, Musas Jove prognatas tam  
candide, tam liberaliter fovendo. Non alia Musis ἱερὰ  
ἐνείκῃ reddes, nisi quæ in earum studiosos contuleris.  
Verum hæc hactenus. Pecuniam quam maturrime mitti



vellemus. Nosti illud, ἡ πενία χωλὸς πρὸς τὸ φιλοσο-  
φῆν, quamvis πενίαν Diogenes φιλοσοφίαν αὐτοδίδακ-  
τον vocarit. Pergimus in litteris pro virili, perrecturū  
amplius, nisi hīc etiam Musæ pecunia flectendæ essent,  
ut aureo malo Hippodameia. Verum et hīc et in aliis  
omnibus argenti Charybdin Parisios dixeris. Nos in-  
terim, quoad ejus licet, frugaliter et parce, neque id  
sine Musis ætatem agimus. Vale præsidium et dulce de-  
cus nostrum!

Paris̃s VII Calendas Septembris 1534.

C. Gesnerus, ex animo tuus.

Ex Autographo Gesneri Bibl. Carol. T. XXVII. p. 257.

## II.

Epistola Gesneri ad Bonifacium Amerbach J. C.  
Basilensem, scripta Turici, cum Gesnerus annum  
ageret vigesimum nonum.

---

Redditæ mihi sunt literæ tuæ et Antonii Fuggeri,  
doctissime Amerbachi, pro quo genere officii plurimum  
me tibi debere fateor. Et ne forte mireris, quid tanto  
viro negotii mecum sit, scias me per literas ejus com-  
mendari famulis suis, Antwerpice et Dantisci, si forte  
illuc proficiscar ad proximum ver, vitam largiente Do-  
mino, historiæ animalium gratia, quod facere proposui,  
si nihil aliud incidat. Hæc libentius ad humanitatem  
tuam scribo, ut studiorum meorum rationem intelligas,  
ac in eisdem promovendis, si quid vel nunc vel aliās  
huic instituto meo commodum occurrat, adesse mihi di-  
gneris. Quamobrem Catalogum ad te mitto animalium, de  
quibus scribo: quamquam nonnulla ibi nominantur, quo-  
rum veras effigies nondum habeo, spes autem est, per  
amicos comparari posse, ut leopardi, hyænæ, tigridis,



uri, bisontis, capreoli tum communis tum ejus, qui moschum gerit, lyncis, damæ: muris Indici s. Pharaonis, quem ichneumonem existimo et paucorum quorundam aliorum. Non pauca etiam habeo, quorum nomina catalogo inscripta non sunt. Omnia sanè ad vivum cum suis coloribus depingi curo. Historiæ partes sunt: nomina in diversis linguis, descriptio corporis singulorum et actionum morumque etc. remedia, apparatus ad cibum et alia quædam. Succisivis etiam horis Bibliothecæ meæ appendicem paro; et quoniam scio instructissimam esse Bibliothecam tuam, et alias multas te inspexisse, visum est interrogare abs te, an usquam videris librum Richardi de Burg episcopi Dilmelmensis, et cancellarii Eduardi tertii regis Anglorum, quem scripsit de institutione Bibliothecæ cujusdam in Anglia, Philobibli titulo, ut meminit Trithemius Abbas, qui eundem typis excusum esse testatur. Sive igitur vel hujus libri indicatione sive aliter consilio tuo labores meos adjuveris, quantum ejus sine molestia tua fieri potest, non credis quantum me sis beaturus. Vale et nugis meis sive puerilibus, si ita videtur studiis fave.

Tiguri 18 die Novembris 1545.

Deditissimus tibi Conradus Gesnerus.

Si quid abs te vel antehac editum est, vel in posterum edendum paras, oro ut mihi significes, quo tui nominis possim, ut cupio, in Appendice nostra mentionem facere. Item catalogum bibliothecæ tuæ, si quem habes confectum, aut aliarum, quæ forsitan apud te sunt, si communicaveris mecum mox bona fide remittam. Des. Erasmi felicitis memoriæ librorum indicem a Gilberto Cognato accepi.

Iterum atque iterum vale!

Ex Collectione Epistol. autograph. in Archivo Antistipii Basileensis, 1545. N. 18.



## III.

Epistola Gesneri ab eo Turici anno ætatis quadregesimo quinto ad Lælii Socini fratres et cognatos in Italia captos propter verbum Domini et de morte periclitantes.

---

*Gratia vobis et pax a Deo Patre nostro et Domina nostro Jesu Christo!*

*Viri nobiles et clarissimi fratres!*

Postquam intellexi a Nobili viro, fratre nostro in spiritu, vestro autem secundum carnem quoque, Vos multo jam tempore in vinculis detineri propter nomen Domini, volui ad vos consolationis aliquid mittere, quamquam in hoc argumento parum idoneus neque exercitatus: animo quidem et spiritu vestri amantissimus, propter fratris præcipue vestri erga me amicitiam et officia.

Primum itaque gratias ago Deo et vobis gratulor propter veritatis æternæ cognitionem, qua vos dignatus est: in qua ut hactenus forti constantique animo perstitistis, ita ut perseveretis ad finem usque Deum oro, vosque adhortor. Video quam difficile et durum sit carni, tot tantasque hujus mundi, quibus uti fruique poteratis, commoditates, voluptates et eminentias relinquere: divitias non vulgares, honores splendidos, familiam et gentem nobilem, amicos excellentes, singulari pudicitia uxores, liberos charissimos et si quid aliud animos hominum demuleere potest, horum enim, opinor, nihil vobis deesset, si velletis: denique dulcissimam patriam et totum hunc mundum vitamque propriam. Fateor hæc vel singula relinquere difficile esse: omnia vero, non modo difficillimum, sed supra conditionem humanam. At quo difficilior hæc victoria est, eo honestior et speciosior erit. Majora sunt incomparabiliter illa, quæ speratis



bona: a morte ad immortalitatem ingredi; pro vita caduca comparare vobis æternam: divitias fluxas thesauro cœlesti permutare: pro vulgi et instabilis fortunæ honoribus perpetuam apud omnes sanctos gloriam consequi: pro familia et amicis consortium omnium, qui a condito mundo fuere bonorum, piorum et sapientium hominum Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum et ipsius Domini nostri Jesu Christi perpetuum: denique pro terrestri patria cœlestem nobis contingere; amicos, cognatos, uxores, liberos non amittetis sed præbitis: sequentur illi pietatis et constantiæ vestræ vestigia. Sed hæc et hujusmodi consolationum genera jamdudum animis vestris familiaria esse scio, nec eis immorari necesse existimo: Non dubito me vobis ultro currentibus calcar addere; libet tamen veluti præsentibus vobiscum verba tamquam extrema (nisi Deo aliter videatur) colloqui et valedicere; libet me ipsum exercere et præparare ad simile certamen, ut, si opus fuerit, promptior sim. Non puto quicquam novi aut insperati vobis accidere. Prædixit hæc omnia nobis Christus noster, et vos (opinor) hoc animo ejus doctrinam acceptastis, ut quandocunque opus esset, vitam et sanguinem pro eo funderetis, sicuti ipse prior pro nobis fecit: quamquam plurimi interest, ut ipsi intelligitis. Homo id totum fere quod est, animus et spiritus est, aut esse quidem debet, non enim in aliis quam animi bonis felicitas ejus posita est, non in corporeis, multo minus externis, quorum utraque fluxa et caduca sunt, animi bona nominant fere virtutes; inter quas quæ agendo exercentur laudari solent; quæ vero in contemplatione acquiescunt gloriam et honorem merentur. In his rursus optima et honoratissima est ipsius Dei per fidem contemplatio, eoque magis, quo sincerior et aliis cum negotiis tum contemplationibus minus permixta fuerit a corpore quoad ejus fieri potest ac rebus corporeis separata, ut cum mens ipsa se ipsam contemp-



datur et in se imaginem Dei, nostris quidem peccatis  
 obsoletam, Christi vero gratia restitutam. Quamobrem  
 etiam Gentilium quidam dixerunt: sapientiam veram  
 esse meditationem mortis non tam vulgaris, qua corpus  
 vi aut sponte naturæ ab anima segregatur, quam illius,  
 quæ bonis et piis tantum peculiaris est, per quam ani-  
 mus ultro a corpore et carnis cupiditatibus se abstra-  
 hit, et ita utitur corpore ac pertinentibus ad ipsum re-  
 bus tamquam non utatur: ac vivit non tam sibi et  
 corpori, quam Deo et pietati. Vos cum hoc mortis  
 et separationis animi a corporis nexu genus, sapien-  
 tibus proprium diu meditati sitis per Christum, in eo-  
 dem et per eundem vulgarem quoque illam et natura-  
 lem mortem, quandocunque fatalis hora adfuerit, for-  
 tes subite; nec expavescite nimium: Dominus Chri-  
 stus, qui de morte et inferis triumphavit, tanto effica-  
 cius vobis aderit, quanto magis auxilio suo vos in-  
 digere videbit. Illius enim corporis pars estis: Ille suo  
 spiritu vos reget ac sustentabit utque in hac infirmitate  
 vosmet ipsos et mundum universum vincatis efficiet.  
 Ardua profecto res est et fere divina hominem a solo  
 Deo pendere toto pectore suo, quod vix alibi in hac  
 mortalitate contingit quam in captivitate præsertim ju-  
 stam ab causam, quam tamen injustam et morte dignam  
 carceris Domini judicarint. Undenam enim salutem illi  
 sperent præterquam a solo Deo. Toti in alieno arbitratu  
 sunt, omni mundano auxilio destituuntur! Qui in aliis  
 discriminibus periclitantur a diversis rebus plerumque  
 auxilia sperant, ut ab artibus aut scientiis suis vel alio-  
 rum viribus et divitiis. At qui captivi sunt, si causa  
 fuerit capitalis, spe nullâ ejusmodi ali possunt: et im-  
 pii quidem captivi nec a Deo nec ab hominibus sperant  
 quicquam ac moriuntur desperati. Pii vero fidelesque  
 unice a solo Deo pendent, idque magis, si justa eorum  
 causa est; maxime vero si propter ipsum Dei sui nomen



in vinculis sint. Hoc igitur nomine in hac calamitatē, ut mundus et caro judicant, gaudere et gratulari sibi debent, quod Deus voluerit eis hanc occasionem dare, quum aliunde quam a solo ipso auxilium sperare non possunt, ideoque animis a toto mundo separatis in unum ipsum respiciunt: quā quidem re divinius et Deo gratius ab homine præstari nihil potest. Mentem enim ita in ipsum affectam, ut ab ipso solo auxilium speret atque imploret, procul dubio exaudiet et exhilarabit Dominus. Hæc occasio et vis quodammodo animum universum ad Deum convertendi et jam vivendi hanc vitam, quasi illam non vivamus, ac terrestre nihil cogitandi (nisi quatenus carnis infirmitas subinde nos tentat) in alia conditione, quam in qua vos nunc estis, homini vix datur. Reputare igitur vos felices debetis et Deo gratias agere cupereque dissolvi, ut cum ipso sitis.

Gentilium aliquos legimus Deo incognito vota et sacra fecisse, et an vivere sit mori, mori autem vivere dubitasse, atque hoc animo nonnullos fortiter diem extremum clausisse, quod aut nullum post mortem boni malive sensum, aut bonis bene, malis male futurum omnino persuasi essent: sicuti de Socrate etiam legimus, qui contempta Deorum gentilium multitudine cicutam fortiter bibit, et paulo post animam reddidit. Nos vero, qui non ignoto Deo, sed per Dominum nostrum Jesum Christum, Ejus ab æterno filium et nobis ceu fratrem factum manifestato fidem habemus; cui non aliena sacrificia sed nos ipsos offerimus; qui de animarum post hanc vitam statu non dubitamus; et pios homines ab hac vita in meliorem statim transire credere nos profiteamur, in morte subeunda propter optimam honestissimamque omnium, quæ cogitari queat causam, trepidi et ignavi erimus? Absit! Credimus enim et scimus, vitam hanc humanam instar mortis esse, aut vix umbram veræ vitæ; illam vero, quam speramus, vere esse vitam bea-



missimam et æternam; nec aliter quam per mortem corpoream aditum ad illam dari. Quid vero est, quod vitam nobis extendi cupiamus? Nonne homo *bulle* est? et terra inque terram revertetur? An vitæ duratio ad unam horam nobis certa erit? An melior honestiorque moriendi conditio ulla, si vel millenis annis vita superesset contingere poterit? Nosne ipsos speramus multo meliores futuros, si diutius vivamus. Equidem video plerosque ægrotos, cum multa circa vitæ emendationem polliceantur, ubi convaluerint, nihilo meliores, plures etiam deteriores reddi. Nonne omnia in pejus subinde ruunt et nos et nostrâ quoque extra nos sunt:

Optima quæque dies miseris mortalibus ævi

Prima fugit: subeunt morbi, tristisque senectus. Nobis certe senescentibus omnia aut fiunt, aut fieri saltem videntur deteriora. Quod si Deo nos offerre et consecrare tamquam victimam volumus, offeramus nos integriores potius, quam aliâs, corpore forsan et animo inferiores. Infinitæ sunt mundi illecebræ ac imposturæ; naturâ vero nos imbecilles. An exspectabimus aliud tempus; quo ad mortem longe deterius affecti simus. Non equidem dico, expetendam esse mortem ipsam per se, sed conditioni tam honestæ conjunctam, quam nisi Deum negare quis velit, negligere nemo queat. Ergo cum Deo naturæque debeamus mortem, seu peccatorum nostrorum stipendium, rem necessariam, naturalem, omnibus communem, proque pœna nobis institutam in gloriam Dei convertere, inque eâdem perpetuæ virtutis et constantiæ exemplar edere, res est profecto summa cum felicitate conjuncta. O veram et solam felicitatem! quæ circa exitum hujus vitæ sibi constat: Felix enim demum is est, qui ad finem usque perseverat, et res omnes a suo fine metimur ac denominamus. Felix, qui non propter exiguam vitæ superstitis ad breve adhuc tempus spem, Dominum suum deserit: Veniat nobis in mentem dux illa



exercitus, de quo in gentiliū historiis proditur, quod cum vehementior sitis eum cum toto exercitu premeret, hosti se dediderit, modo copia frigida aquæ fieret; quâ datâ, cum affatim hausisset: O quam brevi voluptate exclamavit, res maximas et incomparabiles permutavi: mortem intrepide plerique milites adeunt et hosti in prima acie se opponunt, pecuniæ tantum gratia et fidei, quam suo duci dederunt præstandæ. Quæ vero comparatio est ducis hominum ad illum universi mundi Imperatorem, quæ pecuniæ ad vitam cœlestem? quæ denique fidei obligatæ homini ad illam, quâ Deo Opt. M. homines omnes, præsertim vere Christiani sunt adstricti? Nihil est homo ad illum universitatis dominum; nihil omnes totius mundi divitiæ et voluptates ad vitam æternam. Si Dominum confiteri perseveremus, nulla calamitas tanta est, in quâ non consolari nos et tueri tum velit, tum possit. Sin minus, ne universus quidem mundus adversus ipsum sine ipso nobis proderit. Quod si nomen ejus negemus, quonam alio nos consolabimur? quo confugiemus, aut ubi latebimus? Certe cognitum semel Domini nomen negare aut peccatum illud immensum in spiritum sanctum est, aut omnino proximus et proclivis ad ipsum gradus. Oculus non vidit, auris non audivit, nec ascendit in cor hominis, quæ, quantaque bona illis, qui ipsam diligunt, reservet. Sed neque e diverso ullus unquam sensus expertus est, nec ulla cogitandi imaginandive vis assequi potest, quantus illorum sit futurus cruciatus æternus, qui a Deo alieni sunt, quod vel agnoscere ipsum noluerint, vel agnitum rejecerint. Cogitate obsecro, vos esse in circo non paucis spectatoribus sed coram Agonotheta Deo ac universo mundo spectante: certaminis præmium non vulgare propositum, sed tota hac aspectabili natura pretiosius. Celtarum reges olim circa se habebant electos sexcentos solidurios dictos, qui regibus se devovebant, et victuros se et merituros cum illis ad quem-



vis casum, sive morbo illi, sive in bello, sive aliter interirent, nec quemquam ex illis mortem suo regi communem ob metum subterfugisse aut detrectasse, fama est. An nos timidius regi regum nostro serviemus, et pro ipsius gloria mori cunctabimur! Perdemusne æternam animæ salutem, ut corpus ad tantillum temporis supervivat? Estote fortes, charissimi in Christo fratres, et fidem Domino servate integram, hanc enim solum auferre vobiscum potestis, alia cuncta relieturi. Confitemini Domino: quod reliquum est, ipsi committite; penes ipsum esto, velite vos diutius in hac mortali vita immorari, an vero ad meliorem et æternam transferre. Ipse Deus et pater noster est: fiat voluntas ejus quomodo-cunque, modo nomen ejus sanctificetur! Ejus enim sumus sive vivimus, sive morimur. Propter nominis quidem ejus confessionem mori sustinuerunt ante vos, nuper et olim, innumeri sanctissimi homines, constantissimi Martyres, quorum memoria gloriaque celebris apud Deum et homines erit porporo. Horum vos exempla sequimini, et vos quoque posteris sanctæ fortitudinis præbete exemplar. Multos constantia vestra movere et allicere poterit, inconstantia plurimos alioqui infirmos deterreret.

Valete felices in Christo, qui locum vobis apud patrem præparavit, cujus vivi, cujus mortui estis. Illi spiritum vestrum et vos totos committite. Iterum atque iterum et æternum valete et vivite in eo, qui solus veritas et vita est!

Tiguri die 6 Januarii 1561.

Vestri amantissimus in Christo frater  
Conradus Gesnerus.

Ex actis Ecclesiasticis Brennwaldi, T. III. p. 373.







